



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus XXIV. De Jurejurando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

mi voluisse conficere Testamentum, dicendum est potius voluisse, quam noluisse ob omiffam solennitatem.

40 6. Presumptio fundata in naturali impotentia prevalet Presumptioni fundatæ in humanis conjecturis. E. g. aliquis alteri minatus est mortem, & hic deinde Occisus est; sed quia qui minas fecit, probare potest se tunc temporis tam procul abfuisse, ut non potuerit moraliter fieri tamen citò presens, presumitur non occidisse, saltem proprijs manibus.

7. Presumptio specialior prevalet magis generali: Ita etiam si generaliter Presumptio sit, si cui damnum datum est, illud esse à vicino datum, si tamen constet, quod hic sit vir bonus, & integræ famæ, ex hac presumitur eum esse innocentem à damno dato.

8. Presumptio, quod quis voluerit operari secundum Jus commune, prevalet Presumptioni, quod voluerit operari secundum Jus speciale.

9. Denique Presumptio negativa potentior est, quam affirmativa; nascens ex quasi possessione, quam illa, quod quelibet res presumat libera; quæ stat pro reo magis, quam quæ stat pro actore; quæ absurdum & inæqualitatem excludit magis, quam quæ illud includit &c. Vide Haun, tom. 5. tr. 4. à n. 634.

41 Dubitatur, quid presumi debeat, aut possit de crimine commisso, si fugiat? & distinguendum inter tria fugæ tempora. 1. an aliquis fugiat ante inquisitionem, vel accusationem institutam? 2. an fugiat post institutam inquisitionem, vel accusationem adversus ipsum? 3. an fugiat effracto carcere?

Si primum, etsi fuga ejusmodi probationem etiam semiplenam non faciat, facit tamen indicium, seu Presumptionem, ac suspicionem non levem commissi criminis, ut

cum communi docet Mynsing, cent. 6. obs. 98. n. 1. Mascard, de Prob. concl. 8. 9. n. 1. 10. § 15. Farin. prax. crim. q. 48. n. 1. § 27. Gonzal. in c. 4. h. tit. n. 3. Laym. ibid. n. 2. Pirh. hic n. 31. Wiest, n. 16. Ratio est, quia talis fuga censetur profecta ex conscientia criminis; plerumque enim rei, & sceleris conscij fugâ salutem querere solent, Excipe, nisi tamen alia causa discedendi probabilis appareat; tunc enim in dubio, quod benignus est, preferri debet, & fuga, sive discessio non in malam, sed in bonam partem accipi, ut notat Mascard. l. cit. n. 11. § 12. Laym. Pirh. l. cit.

Si secundum, presumitur fugisse, non 42 ex conscientia criminis, sed ob probabilem timorem instituti Processus, & per se pericula, molestias, & vexationes tales causare solet, quas etiam innocentes non omnes subire volunt: assert tamen hujusmodi fuga aliquale criminis indicium, & suspicionem, ita, ut si accedant alia adminicula, efficiere probationem semiplenam, & sufficere ad Rei torturam possit, ut colligitur ex c. nullus 4. h. tit. & notat Menoch. l. 1. de presumpt. q. 39. n. 40. § 41. Mascard. l. cit. n. 17. Farin. n. 27. § 34.

Si tertium, multum refert, an justè eo carcere detentus fuerit, an injustè. Si injustè, fuga fugienti non nocet, modò de injustitia detentionis constet. Si justè, talis fugiens, si post fugam à Judice capiatur, postea gravius torqueri solet: quia tamen alia valde probabilis causa fugiendi allegari potest, videlicet ad liberandum se molestijs carceris, & periculis imminentibus, fuga ejusmodi non facit plenam probationem criminis, sed tantum presumptionem gravem, ac veluti confessionem ejusdem, ob quam graviter puniri potest. Laym. l. cit. & l. 1. Theol. Moral. tr. 4. c. 15. n. 10. in fin. Gonzal. in c. 4. n. 2. Pirh. hic n. 35.

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

Sæpe contingit, ut non quidem jus sed probatio in Judicio litigantem destituat: quare, ne ex probationum defectu, quod suum est, assequi aliquis prohibeatur, salubriter institutum est, ut Juramentum vel à parte, vel à Judice deferatur alteri litiganti, sicque decidatur lis, quæ aliter decidi nequit. Finis igitur

Juramenti in Judicio delati est rei controversæ confirmatio, & litis decisio. Hinc Apostolus Hebr. 6. v. 16. omnis controversiæ finis, inquit, ad confirmationem est Juramentum. Et Cajus JC. l. maximum 1. ff. h. tit. Maximum, ait, remedium, expediendarum litium in usum venit Jurisjurandi Religio. Quare sit

S. I.

De Juramenti Natura, Honestate, & Varietate.

SUMMARIUM.

1. Juramenti definitio.
2. Fieri propriè potest per solum Deum verum.
3. Ejus formulæ.
4. Est licitum.
5. Si habeat tres comites, Veritatem, Judicium,

6. 7. Subjectum Juramenti, seu quis jurare possit?
8. Objectum ejusdem.
9. Divisio.

Queritur 1. quid sit *Jusjurandum*? *Jusjurandum* à *Jure* nomen accepit, quòd instar Juris sit observandum. Alio nomine appellatur *Sacramentum*, ut fit c. *omnes 1. defer. & auth. Sacramenta puerum C. si advers. vendit.* Alij tamen, ut Gonzal. in c. *etsi Christus 26. num. 7.* advertit, cum Alciato inter Juramentum, & Sacramentum discrimen statuunt, quòd illud denotet quodcunque dictum, vel assertum juratum; hoc verò specialiter significet asseverationem Religionis, super re Saera; Libro Evangeliorum, Altari, vel Reliquijs SS. prestitam. Definitur, quod sit *Invocatio Divini Nominis in testimonium*, vel ut alij loquuntur, *ad fidem faciendam dicto, aut promissionem firmandam.* Ita communiter TT. & Jcti.

Dixi 1. *Divini Nominis*; nam jurare propriè ille dicitur, qui cum aliquid affirmat, vel negat, aut promittit, ut sibi fides habeatur, Deum in veritatis, aut promissionis testem adducit. Ex quo sequitur 1. non esse Juramentum, quòd fit per creaturas per se spectatas; nam ita considerata defectibiles, & erroribus, ac inconstantia subjectæ sunt. Unde ut valeat in vim Juramenti, fieri per illas debet, quatenus in iisdem Creator illarum respundet: & eò tendit c. *etsi Christus cit.* dum Juramenta per creaturas prestita observari precipit. Sequitur 2. non esse Juramentum, quod Ethnici prestant per falsos Deos; quia hi infallibilem dictis fidem non possunt tribuere. Neque obstat *can. movet 16. caus. 22. q. 2.* ubi per falsos Deos prestiti Juramenti violatio pro perjurio habetur; nam tale fit ex erronea ita jurantium conscientia, quâ in istis Divinitatem apprehendunt. Sequitur 3. propriè loquendo Juramentum fieri posse per solum verum Deum; cum enim causa ejus adhibendi unica sit, ut is, cui id prestatur, testimonio, & authoritate ejus, qui invocatur, securus reddatur, de veritate assertionis, & sinceritate promissionis, ita securum verò reddere possit solus Deus, utpote qui solus est prima veritas fallere, & falli nescia, consequens est per ipsum solum prestari Juramentum posse.

Dixi 2. *Invocatio*: quo differt principaliter à Voto; nam Voti essentia in sola

promissione DEO facta consistit, Juramenti autem in Invocatione ejusdem. Quod fieri potest non solum explicitè, sed etiam implicitè. Et ita jurant 1. qui assertioni suæ addunt verbum *Juro*; quia idem significat, quod *Deum in testem voco*, aut *volo dictum meum confirmare invocatione testimonij Divini.* 2. qui aliquid affirmant vel negant, aut promittunt *bey ihrem Ahd*; quia hæc verba seriò prolata ex recepta Germaniæ nostræ consuetudine idem significant, quod *Juro.* 3. Per *Sancta Evangelia*, per *S. Crucem per fidem Christianam. per SS. Sacramenta*; quia sensus, est, tam vera esse, quæ dicuntur, quam vera est doctrina Evangelica, Redemptio humani generis, institutio SS. Sacramentorum &c. 4. *Testes invoco cælum, & terram*; quia jurantes invocare in testem censentur illorum Conditores. 5. *Per animam meam, vivus non abeam, fulmine peccam, Diabolus me rapiat &c.* quia his verborum formulis invocari creditur Deus, qui animam perdere in gehennam, & vitam auferre potest. Plures aliæ Juramentorum formulæ videri possunt apud Covar. in c. *quavis de pact. in 6. p. 1. §. 1. à n. 16. Suar. de Juram. l. 1. c. 5. à n. 3. Loym. l. 4. tr. 3. c. 2. Pirh. hic à n. 6. West. n. 6.*

Dixi 3. *ad fidem faciendam dicto, aut promissionem firmandam*: quo innuitur finis Juramenti, qui duplex est, videlicet vel ad confirmandam assertionem, si Assertorium sit; vel ad promissionem roborandam, si Promissorium. Queritur 2. an licitum sit jurare?

Veterum quorundam Hæreticorum error à Waldensibus, & Anabaptistis resuscitatus, voluit, Juramenta intrinsecè mala esse, aut saltem Christianis interdicta: quod evincere contendunt ex duplici Scripturæ textu. 1. *Matth. 5. v. 34.* ubi Christus, *Ego autem, inquit, dico vobis, nolite jurare omnino, sit sermo vester est, est, non, non.* 2. *Jacob. 5. v. 12.* ubi Apostolus, *Nolite, ait, jurare quodcunque Juramentum.*

Sed certa apud Orthodoxos doctrina est, Juramentum non solum intrinsecè malum non esse, sed etiam si rite prestetur, honestum, & laudabile: quod ostenditur 1. S. Scripturæ testimonijs, *Dominum Deum tuum timebis, illi soli servies, & per nomen*

eius jurabis. Deut. 6. v. 13. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Pl. 62. v. 12. 2. exemplo Patriarcharum veterum, & ipsius Dei, teste Vate Regio, *Juravit Dominus, & non poenitebit eum.* Pl. 109. v. 4. 3. ulu Gentium omnium, & cunctorum Tribunalium tam sacrorum, quam profanorum praxi. 4. ratione, quia rite prestitum ad Religionem pertinet, cum per illud profiteamur, nos infallibilem Dei veritatem, & summam auctoritatem cognoscere, colere, & vereri.

5. *Addidi si rite prestatur;* nam, ut hoc fiat, tres habere Comites debet, Ver tatem, Judicium, & Justitiam juxta illud, *Jurabis, vivit Dominus, in Justitia, in Judicio, in Veritate.* Jerem. 4. v. 2. *In veritate* jurat, qui Deum non assumit in testem falsi, sed de re pronuntiat, quod scit, & sicut scit. *In Judicio*, qui non temere, & in consideratè, sed cum prævia deliberatione non solum veritatis, sed etiam causæ jurat; quia causâ solum necessitatis, aut valde magnæ utilitatis adhiberi potest. *In Justitia*, qui, si Promissorium Juramentum sit, eo promittit, quod justum, honestum, & licitum est; si Assertorium, eo asserit, quod asseri sine cujusquam injuria potest.

Neque aliud probant Scripturæ textus in contrarium allegati; nam ut eosdem cum S. August. S. Bern. & alijs PP. explicat Innocentius c. *etsi Christus cit.* ibidem non prohibentur Juramenta rite prestita, sed ea duntaxat, quæ sunt temere, sine necessitate, & utilitate, tum propter irreverentiam, quæ sic jurando infertur Majestati Divinæ, tum propter periculum perjuratorum, cui consuetudo, & assiduus usus jurandi exponitur. Præterea verba Christi ad veracitatem nos cohortantur, quæ ille ita clarescere suos sequaces voluit, ut etiam sine juramento ipsis credatur, & alijs ijdem credant.

6. *Quæritur 3. quis possit jurare?* R. Juramenti usus, spectato naturali Jure, hominibus usu rationis præditis omnibus permissus est sine discrimine: Positivo tamen Jure facultas non parum restringitur, & aliqui quidem ad jurandum in Judicio compelli nequeunt, alij ne admittuntur quidem. Et

Tales sunt 1. Impuberes *can. parvuli 124. can. seq. caus. 22. q. 5.* vix enim Juramenti arduitatem, & reverentiam Numini debitam intelligere, & apprehendere sufficienter noscuntur.

2. Perjuri *can. parvuli cit.* quod intelligendum de Juramentis, quibus aliquid probatur contra tertium, ut Purgationis, Suppletorium, & à testibus fieri solitum; nam ea quæ oneris sunt, ut calumniæ, malitiæ, & quæ Feudorum Dominis à Vasallis præstantur, etiam ab ipsis præstari debent. *Suar. l. 3. c. 20. n. 20.* Procedit autem hoc, etsi de perjuro nec convicti, nec condemnari in Judicio sint, modò illud notorietate

facti sit evidens: & ratio est; quia, qui semel pejeravit, iterum pejeraturum periculum, & Presumptio est *arg. Reg. semel s. de R. J. in 6.*

3. Non jejuni *can. placuit 2. caus. 4. 7 q. 3. can. honestum 16. caus. 22. q. 5. c. placuit 1. de testib.* Hæc tamen Constitutio vel nunquam recepta fuit in vim præcepti, vel de jejuno latius accepto intelligi debet, quatenus excludit ebrietatem, & crapulam. *Barbof. in c. 1. cit. n. 3. Gonzal. ibid. n. 3. Wiest. n. 15.*

4. Clerici, præsertim Sacerdotes; nam hi ex levi causâ jurare specialiter prohibentur *can. si quis Presbyter 4. caus. 2. q. 5.* quòd illorum Ordinem, & dignitatem non deceat dubitari facillè de veritate eorum, quæ dicunt. Si necessitas, vel magna utilitas ita exigat, licitè jurant coram Judice suo; coram Laico voluntarium quidem ad roborandam promissionem, & contractum possunt edere, coactivum tamen, saltè sine Papæ, vel Episcopi licentia, præstare nequeunt *can. nullus 22. junct. Gloss. V. Laico caus. 22. q. 5.* Ex quo solvitur.

Dubium, an Clerici tempore pestis delata Juramenta, se non fuisse in loco infecto, vel de infectione suspecto, præstare possint; dicendum enim, quòd præstare illa possunt, si exigantur sub conditione tantum ingressûs; contra eadem præstare nequeant, si petantur per modum coactionis, quasi à superiore. Communiter tamen non Juramentum, sed confirmatio tantum gravior per fidem Sacerdotalem (*bey ihren geistlichen Würden*) requiri in hujusmodi occasione solet.

Quæritur 4. quòdnam sit Objectum Juramenti? R. est duplcis generis pro varietate ipsius Juramenti; nam si Juramentum sit *Assertorium*, Objectum illius est factum, aut non factum præteritum, aut præsens. Ut licitè præstetur, requiritur facti talis notitia, & quidem, si proprium illud sit, opus est, ut jurans moralem quandam certitudinem de illo habeat; si alienum, oportet, ut habeat de illo saltè credulitatem, seu conjecturam probabilem. *Laym. l. 4. tr. 3. c. 4. n. 4.*

Objectum Juramenti *Promissorii* est factum, vel non factum futurum, possibile, & honestum: *futurum* quidem debet esse; quia, quòd jam factum est, frustra, ut fiat, promittitur: *Possibile*; quia Juramentum Promissorium obligationem debet inducere, qualis tamen ad impossibile dari non potest: *Honestum* denique; quia Juramentum vinculum iniquitatis esse non potest *c. quanto 18. h. tit.* Imò si etiam rem indifferentem promiseris, e. g. quòd non velis lavare manus, fenestras claudere, incedere vestibus rubris, sed nigris, per se loquendo obligatio per tale Juramentum non inducitur, cum neque Deo acceptum, neque hominibus placitum, aut gratum sit. *R. König hic v. 18.*

Quæ-

Queritur 5. quotuplex sit Juramentum? *¶* celeberrima illius divisio est in Assertorium, & Promissorium. *Assertorium* est, quo assertitur veritas rei presentis, vel preterita; *Promissorium*, quo promittitur aliquid in futurum. Juramenti Assertorij frequens in causarum decisionibus usus est. Duplex ejusdem generis ab Interpretibus in Rubricam *ff. b. tit. considerari* solet, quorum primum vocatur *Litis Decisorium*, alterum *Juramentum in Litem*. De hoc dicitur infra §. 5. *Juramentum Litis Deciso-*

rium definiri potest, quod sit Juramentum litis finiendae causae à parte litigante praestitum. Subdividitur in Voluntarium, Judiciale, & Necessarium. Non est exacta haec divisio; nam etiam Judiciale voluntarium est, & Necessarium Judiciale. Hinc accuratius potuisset dividi in Judiciale, & Extrajudiciale, & Judiciale primum subdividi in Voluntarium, & Necessarium. Verum divisio prior à communi DD. approbatione sustinetur: quam etiam ego in tractatione hac sequar. Quare sit.

S. I I.

De Juramento Voluntario.

SUMMARIUM.

10. Quid sit Juramentum Voluntarium?
11. Quis deferre illud possit?
12. 13. Quis non deferre?
14. 15. Quibus deferri possit?
16. In quibus causis?
17. An etiam in Causa criminali?

18. Quid requiratur, ut legitime praestetur?
19. Quamdiu revocari à deferente possit?
20. 21. Qui sint ejusdem effectus?
22. An vim habeat etiam contra tertium?
23. An rescindi possit, postmodam detecto perjurio?

Queritur 1. quid sit Juramentum Voluntarium, & unde nomen acceperit? *¶* Voluntarium inde dicitur, quia ex libera partium voluntate deferitur, & ex libera eandem voluntate suscipitur; potest enim is, cui deferitur hoc Juramentum, non tantum referre illud, sed omnino etiam recusare, & si malit, ad viam Juris recurrere: si tamen praestetur, controversiam finit; quia, ut *l. Jusjurandum 2. ff. b. tit.* dicitur, *speciem Transactionis continet*. Hinc ab alijs *Conventionale* appellatur; alij verò *Extrajudiciale* vocant, quod extra Judicium deferatur, & praestetur.

ff. eod. & cum Zoef. hic n. 31. König n. 45. docent communiter DD.

2. *Prælati* in rebus suae Ecclesiae, *Tutor* in rebus sui pupilli, *Curator* in rebus sui Clientis *l. jusjurandum 17. cit.* Haun. tom. 5. de *J. & J. tr. 4. n. 929.* Zoef. König *l. cit.* Ratio est, quia rerum istarum liberam administrationem habent à Jure sibi concessam.

3. *Servus*, & *filiusfam.* in rebus concernentibus peculium suum, si liberam illius administrationem habeant *l. servus 20. & duabus seqq. ff. b. tit. Zoef. n. 32.* Haun. n. 932. König *l. cit.*

4. *Procurator*, si habeat speciale mandatum, vel generale quidem, cum libera tamen, i. e. cum administratione omnium bonorum, aut si in rem suam Procurator sit *l. 17. cit. §. fin. l. Jusjurandum 34. §. defensor 1. ff. b. tit.* Secus dicendum, si habeat solum generale mandatum ad litem *l. alias 18. & seq. ff. eod. Zoef. n. 31.* Haun. n. 930. König *l. cit.* Ratio est, quia mandatum est stricti Juris; Procurator autem simpliciter, & ad litem datus tantum praesumitur datus ad petendum, & non ad deferendum. *Jusjurandum*, sicut nec ad transigendum.

Queritur 3. quibus potestas non sit deferendi hoc Juramentum? *¶* hoc patet ex *n. præc.* videlicet nemo potest Juramentum istud deferre alteri in re aliena, neque in sua, si liberam illius administrationem non habet. In specie illud deferre non potest 1. *Pupillus* sine autoritate Tutoris *l. 17. cit. §. pupillus 1. & l. jurisjurandi 32. ff. eod.* 2. *Prodigus, furiosus, mente captus*, & his similes, quibus rerum suarum administratio denegata est *l. tutor 35. §. prodigus 1. ff. b. tit.*

3. *Filius*

Finis hujus Juramenti est litem finire, & controversias dirimere absque Judiciali strepitu: servit maxime ijs, qui probationibus alijs destituuntur, & metu expensarum ad finem controversiae sponte properant.

Definiri potest, quod sit Juramentum, quod ex conventionione pars parti extra Judicium desert sub ea conditione, quod velit ab ulteriori processu abstinere, & Juramento stare, si pars, cui delatum est, illud praestiterit. Ita quoad rem omnes, & colligitur ex *l. Jusjurandum 17. princ. & l. in duobus 28. ff. b. tit.*

Queritur 2. quis deferre Juramentum Voluntarium possit? *¶* deferre potest omnis ille, qui potest pacisci, & liberè de re controversa disponere; quia hoc Juramentum ex conventionione deferitur *l. jusjurandum 17. cit. princ. & l. qui jurasse 26. §. Jurisjurandi 2. ff. b. t.*

In specie deferre illud potest 1. *Domini* habens rerum suarum administrationem, estque perinde, sive is Actor sit, sive Reus; nam & Reus Juramentum rectè dedit actori *l. in duobus cit. §. fin. l. eum qui 30.*

3. *Filius in re Patris, Servus in re domini sui* : item in re peculiari, si non habeant administrationem liberam *l. servus 20. §. duab. seqq. ff. h. tit.*

De *Minore* controversia est, non quidem, quando is Curatorem non habet: tunc enim certum est, quod Juramentum deferre possit; quia liberam rerum suarum administrationem habet, & celebrare alios actus legitimos potest: sed de eo tantum, qui habet Curatorem.

Quo casu satis communis sententia est eorum, qui cum Ant. Perez, & alijs RR. affirmant, etiam hunc absque Curatoris autoritate Juramentum istud deferre posse, ita, ut nisi intra tempus Jure statutorum restitutionem in integrum petat, Juramentum teneat. Videtur deduci ex *l. nam posteaquam 9. §. si minor 4. ff. h. t.* Rationem dant, quia cui solvi potest, ille etiam deferre Juramentum potest, ut colligitur ex *l. 17. cit. §. 2.* ubi dicitur ideo à Tutore, vel Curatore deferri Juramentum posse, quia etiam solvi eidem potest, atqui minori solvi potest. ergo &c.

13 Probabilior videtur negativa, quam sequitur Zaf. in *l. 11. §. 4. num. 13. Zof. hic n. 32. Haun. tr. 4. cit. n. 926.* Ratio est, quia delatio Juramenti est quaedam pactio tendens ad alienationem, seu amissionem Juris, cui præjudicari potest per Juramentum delatum. atqui Minor sine autoritate Curatoris, si talem habeat, non potest ira contrahere, ut si contrahat, non habeat opus restitutione in integrum *l. si Curatorem 3. C. de in integr. restit. minor.* ergo &c.

Neque obstat *l. nam posteaquam cit.* quia, ut bene advertit Haun. *n. 927.* ibi non dicitur, quod minor in casu illius Legis detulerit Juramentum sine Tutoris autoritate, quem habuit, sed potius colligitur oppositum, sc. quod aut Curatorem non habuerit, aut si habuit, ejus autoritas intervenierit; quia contractus supponitur validus futurus fuisse, si læsus non fuisset. *Ad Rationem additam l. 17. cit.* adduntur etiam alia, quæ simul sumpta sufficiunt, ut dicatur Curator in rebus pupilli Juramentum deferre posse, & inter hæc præcipue est, quia alienare potest. igitur et si solvi minori possit, non tamen exinde probatur, quod etiam Juramentum deferre possit.

Deinde non ita simpliciter solvi potest minori, sicut Curatori, ut videre est apud Interpretes in *l. ait Prætor ff. de minor.* nam si minor perdat pecunias sibi solutas, non interveniente autoritate Curatoris, restituitur in integrum actione contra debitorem instituta: & hinc non ita tutum est solvere minori, ac solvere Curatori.

14 Quæritur 4. quibus deferri Juramentum Voluntarium possit? *¶.* deferri potest omnibus, qui ex conventionem sibi, vel alijs actionem, aut exceptionem querere possunt, neque in hoc discrimen est aut

sexus, aut ætatis, aut conditionis *l. qui jurasse 26. princ. ff. h. tit.* In specie illud deferri potest 1. Pupillo *l. qui jurasse princ. cit.* cui non obest *l. jurandum 34. §. pupillo 2. ff. h. tit.* ubi Ulpianus, Pupillo, inquit, non defertur Jusjurandum; quia eo textu Jctus solum loquitur de Juramento Judiciali, ut §§. subsequentes indicant. 2. minori *arg. l. jurass. princ. cit.* 3. Servo in causa domini *l. si servus 23. & l. sed si 25. h. t. 4.* Filiof. in causa patris, & vicissim *l. qui jurasse cit. §. si pater 1. & l. multo magis 24. ff. eod.* 5. Tutori in re pupilli, Curatori in re minoris *arg. h. cit.* 6. Procuratori in re principalis *l. nam posteaquam 9. §. Jusjurandum 6. ff. eod.*

Cuiusque autem deferatur Juramentum Voluntarium, in arbitrio suo positum habet, an velit illud præstare, vel referre, vel omnino recusare; nam idcirco voluntarium dicitur, ut *n. 10. supra* monuit. Ratio est, quia, ut *l. jurandum 2. ff. h. tit.* dicitur, Juramentum istud est quedam pactio, & transactionis species; transactio autem, sicut & quælibet pactio voluntariam causam habet. Imò, si is, cui delatum est Juramentum istud, illud referat deferenti, neque deferens præstare id cogitur, sed libere illud recusare potest, cum ex utraque parte planè liberum, & voluntarium sit.

Neque obstat *l. jusjurandum 17. cit. in princ.* ubi Paulus Jctus, Jusjurandum, inquit, quod ex conventionem extra Judicium defertur, referri non potest; nam textus hic ita intelligendus est, ut referri hoc Juramentum nequeat cum effectu, ut deferens illud sibi relatum præstare debeat: alioquin potest referri, & perinde erit, ac si referens ab initio detulisset. Unde uterque liberimus erit, ut juret, vel non.

Duo tamen Casus excipiendi sunt, quibus præstari ab eo debet, cui delatum est. *Primus* est, si inter partes ita convenerit; quia ex tali conventionem factum est necessarium. *Secundus*, si semel susceptum sit; nam semel susceptum à suscipiente recusari non potest amplius, nisi pro confesso haberi velit. *Wesfenbec. ff. h. tit. n. 8. Vallens. §. 5. n. 1. Haun. tr. 4. cit. n. 965. König n. 49. & ratio est*, quia licet susceptio hujus Juramenti initio sit libere voluntatis, suscepti tamen præstatio evadit necessitatis *arg. l. sicut 5. C. de O. & A.*

Quæritur 5. in quibus causis deferri Juramentum Voluntarium possit? *¶.* in omni re controversa; neque enim regulariter loquendo est ullum private controversie genus, super quo illud deferri, aut præstari non possit *l. ait Prætor 3. §. in quacunque 1. ff. h. tit.* De triplici causa specialis est difficultas, de Causa Matrimoniali, de Professione Religiosa, & in causis criminalibus. *Ad 1.* difficultas solvitur distinguendo, videlicet Juramentum deferri potest, quando

quando agitur de Matrimonio primùm contrahendo, seu Sponsalibus *arg. c. praterea 22. & c. requisivit 17. de sponsal.* at quando agitur de Matrimonio, jam contracto, deferri quidem Juramentum potest pro Matrimonio, ut semel initum ferretur; non autem contra Matrimonium, ut semel contractum dissolvatur *arg. c. fin. de Transact. Bartol. in l. ait Prator cit. Gutier. de Matrim. c. 38. n. 1. Gaill. l. 2. obs. 94. n. 13. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 946. König hic n. 51. & novissimè Clariss. P. Schmier Process. Judic. c. 11. n. 98.* Ratio est, quia etsi in arbitrio partium sit Matrimonium, propter dissensum invalidum, posito novo consensu revalidare, non tamen est in potestate illarum illud, si aliquando validè sit contractum, dissolvere, cum vinculum inducat indissolubile.

Ad 2. eadem est responsio, quæ confirmatur à pari cum Matrimonio carnali; nam ab hoc validum est argumentum ad Matrimonium Spirituale, quod contrahitur per Professionem Religiosam, cum à pari procedant ambo *can. sicut vir 11. caus. 7. q. 1. & c. inter corporalia 2. de translat. Episc.*

Ad 3. convenit inter DD. teste *Haun. l. cit. num. 943.* quòd in causa criminali Juramentum tum voluntarium, tum judiciale Actor possit deferre reo; quo casu prodest reo, sed tantum quoad personam Accusatoris, ut eum denuo accusare non possit: quoad alias personas extraneas, & quoad Judicem de crimine inquirentem Juramentum non prodest juranti.

Dissensio est, an reus illud deferre Actori possit? Negaat Salicet. in *l. admonendi 31. n. 3. & seqq. ff. h. tit.* P. König hic n. 52. P. Schmier *l. cit. n. 97.* & alij apud istos, saltem quando agitur ad pœnam corporis afflictivam, ex duplici ratione. 1. quia reus non est dominus suorum membrorum *l. liber 13. princ. ff. ad Leg. Aquil.* igitur delatione Juramenti exponere se nequit probabili periculo mortis, vel mutilationis. 2. in causis criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariores *l. fin. C. de probat.* talis autem non habetur per Juramentum Actoris. ergo &c.

Sed probabilis tenetur sententia affirmativa, quæ cum Zasio *in l. ait Prator cit. à n. 13. Haun. n. 945.* & alijs concedit absque discrimine in Causa criminali Juramentum tam voluntarium, quam Judiciale à reo deferri actori posse. Ratio est, quia Jura indistinctè loquuntur, neque adest aliqua causa distinguendi; neque enim rationes pro sententia adversa allatæ tam efficaces sunt.

Ad 1. potest quis utique in periculum capitis sui fateri crimen, quod commisit, neque per hoc ipse disponit de capite suo, sed definitionem causæ relinquit Judici: quare non igitur etiam poterit reus cum simili periculo Juramentum deferre accusatori? *Ad 2.* Confessio propria est probatio

omnium efficacissima, ut majori luce non indigeat. sed accusatore ad delationem Rei jurante, ipse reus fateri censetur crimen; nam ut *l. quoniam 5. ff. de his, qui notant infam.* dicitur, intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. atqui deferre Juramentum est pacisci; nam idem est, acsi diceret: *Volo reus esse, si juraveris.* ergo &c.

Quæritur 6. quid requiratur, ut legitime præstetur Voluntarium Juramentum? 1. præstari debet, alio deferente; nam Juramentum ultroneum, quod nullo deferente quis præstat, nullum operatur effectum, nec in Judicio defenditur *l. ait Prator 3. princ. ff. h. tit.* ubi ratio additur; quia sibi juravit? & alioquin facillimus quisque ad Jurandum decurrens, nemine sibi deferente Jurandum, oneribus actionum se liberabit. 2. deferri debet hoc Juramentum extra Judicium; nam per hoc præcipuè distinguitur à Judiciali, quod pars parti in Judicio defert. 3. is, cui delatum est, præstare id debet intra tempus, ad quod delator restrinxit; nam postea præstitum nihil juranti prodest, neque qui detulit, admittere illud debet *l. non erit 5. §. fin. ff. h. tit.* 4. præstari debet sub eo modo, sub quo delatum est; nam aliter præstitum ratum non habetur *l. ait Prator cit. §. fin. & l. qui per salutem 33. ff. eod.* 5. non debet esse revocatum à deferente; nam præstitum, postquam revocatum est, non prodest, cum perinde sit, acsi delatum non fuisset *l. si quis 11. C. de reb. credit.*

Quæritur 7. quamdiu Juramentum Voluntarium revocari à deferente possit? 1. revocari potest, usque dum is, cui delatum est, illud præstiterit, ut colligitur ex *l. si quis cit. & tradit ibidem Gloss. Haun. tr. 4. cit. n. 960. König hic n. 57.* Proceditque hoc, etsi susceptum sit ab eo, cui delatum est, & sic completa quasi conventio aliqua inter delatorem, & qui delatum suscepit; non enim alter facta est ista quasi conventio, nisi sub conditione, si deferens nolit Juramentum delatum à se revocare: hinc, nisi expressè renuntiet juri revocationis, semper illud sibi reservare censetur.

Neque dicas: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest;* nam regula hæc locum duntaxat habet in casu, quo Lex illud non permittit, non verò in casibus, ubi illud concedit Lex, ut fit in nostro, & pluribus alijs. Aliquos tantum pro exemplo refero; sic enim 1. mandatum contractum evanescit, si revocatum fuerit, quando res adhuc est integra *§. reffè 9. Inst. de mandat.* 2. in societate nemo invitus permanere cogitur *§. manet 4. Inst. de Societat.* 3. universim in contractibus innominatis sine consensu alterius licet recedere, dummodo res sit integra, & ex parte alterutrius contractus non sit impletus *l. si pecuniam 5. ff. de condit. caus. dat. caus. non secut.* quidni igitur hoc dici poterit de Juramenti revocatione?

Z 2

Sed

Sed nec iniqua est hujusmodi revocatio, cum sic magis præcludatur via peccandi, dum is, qui propter Instrumenta fortè noviter reperta Juramentum revocat, alteri facultatem admittit pro libidine sua pejerandi.

20 Quæritur 8. quis sit effectus Juramenti Voluntarij? *ꝙ.* est duplex, alius Proximus, alius Remotus. Proximus est decisio rei, vel causæ, inter partes controversæ; is enim, qui deferente Adversario juravit rem suam esse, aut se debitorem non esse, victor evadit, nec minus acquirit Juris, quàm si cum adversario translegisset, aut sententiam Judicalem pro se obtinisset *l. jusjurandum 2. ff. h. t.*

Remotus est Actio in factum, & Exceptio Juratoria. Si actor juravit, reo deferente, vel postquam ad delationem Juramenti paratum se ostendit, remissum ei est Juramentum, actori, & ejus hæredibus datur Actio in factum contra reum, qui detulit, ejusque hæredes, & petitur hac actione, ut præstetur, quod deberi actori ad Adversario juratum est *l. nam posteaquam 9. §. jurejurando 1. & §. fin. l. sed si 11. §. item si 2. l. si duo 13. §. si quis 3. & duob. seqq. ff. h. t.*

Si reus juravit deferente actore, vel postquam paratum se ostendit, remissum ei est Juramentum reo, ejusque successoribus tum universalibus, tum singularibus, sicut & fidejussoribus competit Exceptio Juratoria contra illum, qui Juramentum hoc detulit, ejusque successores: intendit hac Exceptione reus elidere actionem, contra se intentandam obijciendo Juramentum voluntarium à se præstitum ad delationem Actoris, & cum juraverit nihil se debere, petit absolvi à debito *l. ait Prætor 7. l. etiam 2. l. nam posteaquam 9. §. jurejurando 1. l. in duobus 28. quod reus 1. ff. h. t.*

21 Res in exemplo patebit clariùs E. g. Ego dico, quòd Parens meus defunctus Titio dedit mutuos 1000. fl. & quia scio Titium nondum restituisse, solutionem ab ipso repeto: negat Titius absolute se aliquid debere vel mutuum se accepisse: ego, cum Chirographum non habeam, neque testes, eò, quòd ij, qui interfuerunt, fortasse mortui sint, non possum probare sufficienter debitum, quòd tamen scio re ipsa contractum. Hoc casu, si Titio mihi Juramentum deferente, illud præstem, ex hoc Juramento conceditur mihi actio, quæ mutuum coram Judice repetere possim à Titio; si verò in contrarium Titius, me deferente, juravit absolute mutuum se non accepisse, Exceptio Juratoria datur Titio, quæ se adversum me obijciendo Juramentum voluntarium à se præstitum defendat, & elidat actionem à me adversus se intentandam: nam hoc præstito Juramento, non amplius quæretur de debito, sed tantum de Juramento, an sc. præstitum sit sub ea lege, conditione, sub

qua delatum est; quæstio enim, num debeatur, remissa est, cum sufficienter probata sit Juramento *l. non erit 5. §. dato 2. ff. h. tit.*

Dixi Si Titius absolute neget se aliquid debere, vel mutuum se accepisse; nam si mutuum se accepisse fateatur, sed dicat se jam solvisse non debeo incaute deferre eidem Juramentum, cum solutionis factæ probatio non mihi incumbat, sed Titio.

22 Quæritur 9. an Juramentum Voluntarium, inter partes præstitum, vim habeat etiam adversus tertium qui Juramentum nec detulit, nec in deferentis locum successit? *ꝙ.* adversus hunc Juramentum nihil prodesse juranti *l. ait Prætor 3. §. fin. l. nam posteaquam 9. §. fin. l. quia 10. ff. h. tit.* ubi etiam ratio redditur, quia non debet alij nocere, quòd inter alios actum esset.

Majoris dubij quæstio est, an ex Juramento, quòd extraneo alicui delatum est in causa tangente tertium, atque ab eo præstitum, huic tertio acquiratur actio? Negat Ant. Faber *1. conject. 4.* & alibi, eò quòd regula universalis sit, quòd nobis per extraneum actio non acquiratur.

Affirmativa tamen, teste Frisio, est in foro recepta, & Juri quoque valde consentanea *l. fin. §. sed §. 2. ff. h. tit.* ibi sed *§. si actore deferente, defensor absentis, vel præsentis juravit, eum, quem defendit dare non oportere, exceptio Jurisjurandi ei, cujus nomine juratum fuerit, dari debet.* Neque obstat, quòd hoc textu sermo sit de defensore, quòd est Judicialis negotiorum gestor; nam si ex hujus Juramento Exceptio quæritur tertio, nempe defensor, quidni hoc etiam fiet per Juramentum præstitum à negotiorum gestore extrajudiciali, qualis esset in casu nostro ille extraneus Juramentum præstans in causa tertij.

Ad argumentum contrarium respondet Haun. *tr. 4. cit. num. 939,* actionem in proposito non acquiri directè, & immediatè, sed indirectè & per consequentiam, quatenus nempe deferens Juramentum cedit Jure suo, & vult non habere Jus, si extraneus juret eum non habere Jus: extincto ergo jure, non videtur exceptio neganda illi, in cujus favorem extraneus juravit.

23 Quæritur 10. an Juramentum Voluntarium, detecto postmodum perjurio, possit retractari, & rescindi? Affirmat Ant. Faber *deca. 19. de Error. pragmat. error. 5.* Sed etsi sententia hæc sit multo æquior, tamen de rigore Juris præferenda videtur, quam Wesenbec. *ff. h. t. n. 8.* Eckoldt *ibid. §. 14. Zœl. hic n. 42.* Haun. *tr. 4. cit. n. 966. König n. 61.* & his testibus communissimè DD. tenent, scilicet Juramentum Voluntarium, præstitum etiam cum perjurio, non posse postea retractari, & rescindi, sed regulariter loquendo Judici Ordinario judicandum esse, secundum quòd juratum est. Constat ex *l. causa 1. C. de reb. credit. ibi*

Causa

Causa Furejurando ex consensu utriusque partis
 --- *decisa, nec perjurij pretextu retractari potest, nisi specialiter hoc Lege excipiatur: colligitur etiam ex l. non erit 5. §. dato 2. ff. h. t. Rationem dat Haun. l. cit. quia conventionone hoc actum est, ut si alter audeat jurare, sit delatori acquiescendum Juramento. ergo si non excipit causam, quo detegeretur perjurium, tota conditio sufficienter impletur per præstitum Juramentum: & ille, qui jurat, non alio sensu, vel lege recipit delationem Juramenti, quam quia vel impostum securus esse à molestia litis.*

Dixi **I.** *regulariter*; nam **I.** excipitur, quando ita conventum est, ut contra Juramentum, ab una parte præstitum, ad-

mittatur pars altera ad jurandum contrarium; tunc enim censetur retractatum prius Juramentum per posterius, quodcumque horum perjurium fuerit. **2.** in causa legari, vel Fideicommissi ex Testamento præstandi; tunc enim detecto perjurio, retractatur Juramentum *l. fin. C. de reb. credit.* ubi jurans sibi legatum aliquid esse, si postea ex tabulis appareat nihil legatum esse, ex Juramento suo lucrum non habere deceditur, sed quod accepit, repetitur. **3.** si suprema potestas in pœnam perjurij vellet ejusmodi Juramentum rescindere, & pejerantem condemnare, quod utique potest, cum ipsius sit crimina non relinquere impunita.

§. III.

De Furejurando Judiciali.

SUMMARIUM.

24. Quid sit Juramentum Judiciali?

25. Quis illud deferre possit?

26. 27. 28. 29. An reo Actor, qui nihil probavit?

30. Cui deferri possit?

31. Exceptiones.

32. 33. In quibus causis possit deferri?

34. Quid requiratur, ut legitime deferatur?

35. 36. Effectus delati, & præstiti?

37. 38. 39. Semel delatum, & acceptatum à deferente revocari non potest.

24 **Q**uæritur **I.** quid sit Juramentum Judiciali, & quomodo à Voluntario differat?
I. Juramentum Judiciali est, quod approbante Judice, pars parti in Judicio desert ea lege, ut si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat. Ita quoad rem omnes, Judiciali dicitur tum à loco, in quo deferretur, tum à Judice, qui delatum approbat, & eum, cui delatum est, vel solvere, vel jurare cogit *l. Jusjurandum 34. §. ait Prætor 6. ff. h. tit.*

Differt à Juramento Voluntario supra descripto. **1.** quia Juramentum voluntarium desert pars parti extra Judicium; Judiciali in ipso Judicio. **2.** pars, cui delatum est Juramentum voluntarium, non cogitur illud subire, sed recusare id potest, si malit per viam Juris procedere, & in Judicio litigare; at cui delatum est Juramentum Judiciali, illud subire cogitur, aut si malit, referre id deferenti debet, ut *n. 30. dicam.* **3.** Juramentum voluntarium ex sola utriusque partis libera voluntate pendet; in Judiciali authoritas Judicis intervenire debet, qui, si justum illud esse perspexerit, aliquando illud etiam jubere potest.

25 **Q**uæritur **2.** quis deferre Juramentum Judiciali possit? **IV.** deferre illud potest ferè omnis ille, qui Voluntarium Juramentum deferre potest: nec Actor duntaxat reo, sed etiam Actori Reus, ut colligitur ex *l. generaliter 12. princ. §. omne igitur C. de reb. credit.*

Controversia inter DD. est, an Actor, si nihil omnino probaverit, deferre reo Juramentum Judiciali possit cum effectu, ut hic teneatur delatum præstare, vel referre, aut solvere? Affirmant Jason in *l. manifesta 38. ff. h. tit. n. 3. Fachin. l. 1. contr. c. 19. Wesenbec. ff. hic n. 9. Zoef. ibid. n. 35. Gilcken in l. in bona 3. C. de reb. credit. num. 7. Vinn. l. 1. select. quest. c. 42. Engl. hic n. 16.* Probant **I.** ex *l. manifesta cit.* ubi generaliter sine distinctione dicitur, *manifesta turpitudinis, & confessionis esse nolle nec jurare, nec Jusjurandum referre.* **2.** ex *l. tutor 35. princ. ff. eod.* ubi dicitur *Tutorem pupilli, omnibus probationibus aliis deficientibus, Jusjurandum deferentem audiendum esse.* **3.** ex *l. generaliter 12. C. de reb. credit.* ubi habetur juramentum reo non tantum circa finem causa, sed etiam *in principio litis*, adeoque antequam aliquid probatum sit, deferri posse. **4.** à pari; nam actor ante omnem probationem libellum, & articulos positionales porrigere potest Judici, & reus ipso interrogante ad illos, antequam quidquam probatum sit, respondere cogitur. Igitur non est ratio, cur non etiam ante omnem probationem deferre eidem Juramentum possit. **5.** In hoc casu is, cui Juramentum deferretur, constituitur Judex, & testis in propria causa; igitur non est, quod conqueri possit, sibi delatum Juramentum esse, antequam à delatore aliquid probatum esset; quia potius per hoc accepti beneficium.

Z z 2

Nega-

26 Negativam defendunt Bartol. in l. 3. C. de reb. credit. Ripa in l. 31. ff. b. tit. Abb. in c. fin. S. sanè n. 1. eod. Menoch. l. 1. de presumpt. q. 81. n. 2. Mascard. vol. 2. de prob. concl. 958. n. 7. & alij plures. Moventur 1. quòd actore non probante, reus sit absolvendus, etsi nihil præstiterit, i. e. nihil probaverit, non juraverit c. fin. cit. S. sanè, & l. qui accusare 4. C. de edend. 2. Actore plenè probante suam intentionem, reus ita condemnatur, ut illum ad jurandum provocare non possit c. sicut 2. de probat. ergo eodem actore nihil probante absolvi debet reus, neque cogi ad jurandum poterit; nam actor, & reus non debent ad imparia judicari l. fin. C. de fruct. & lit. expens. 3. Non sunt petendæ probationes ex domo rei l. qui accusare cit. & l. nimis grave 7. C. de testib. & actor, qui ad Judicium accedit, debet proprijs probationibus reum convincere, quale non est juramentum delatum reo: quod egregiè confirmat Justinianus Imp. dum l. siquis 11. princ. ff. de reb. credit. satis absurdum est, inquit, --- cum aliam probationem quis desperaverit, tunc denuo ad religionem (Juramenti) convolare.

27 Conciliari utraque sententia mediâ distinctione potest, quâ utuntur Haun. tom. 5. de J. & J. tr. 4. à n. 987. Wiest, hic n. 26. & novissimè Clariss. P. Schmier Process. Judic. c. 11. n. 132. & seqq. Vel enim actor probationibus destitutus est, ita, ut neque præsumptionem pro se aliquam habeat, vel etsi probationem propriè dictam, i. e. ex testimonij, vel instrumentis desumptam nullam adducat, præsumptione tamen aliqua non levi juvatur. Si primum, deferri reo Juramentum ab actore nequit, sed absolvi debet à Judice; si secundum, compelli ad jurandum, vel Juramentum referendum potest. Utrumque satis efficaciter viderur probari ex c. fin. S. sanè cit. ibi: Sanè si Actor omnino in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere; præsumptione verò faciente pro illo, reo deferri potest, ad ostendendam suam innocentiam Juramentum, nisi Judex (inspectis personarum, & causæ circumstantijs) illud actori videat deferendum. Ecce! quando non adest saltem præsumptio, ne Judici quidem permittitur deferre Juramentum reo, sed jubetur pro reo pronuntiare, ergo pariter sine ejusmodi præsumptione non potest Juramentum ab Actore delatum parti approbare auctoritate sua. Ratio est, quia Juramentum nec à parte deferri potest, nec à Judice approbari, quando deest necessarius Juramenti comes, Judicium, sive rationalis causa jurandi. Hic autem deest, quando actor nec probationem aliquam fecit, nec præsumptione juvatur. Certè si tali casu liceret Juramentum deferre reo, nemo satis defenderetur adversus injustas hominum improborum impetitiones; quia utrunque probationibus destituti forent, juramentum de-

ferre possent, & sic ad jurandum compellere eos, quos nequitia suâ vellent esse oppressos.

Neque dicas 1. causam rationabilem¹⁸ jurandi esse ipsam probandi necessitatem, & veritatis manifestationem; nam ubi Actor ad Judicium temere provocavit, nulla se probandi necessitate tueri potest: ita autem provocasse non absque ratione præsumitur, qui nec probationem aliquam, nec præsumptionem pro se potest adducere. Non dicas 2. hoc modo saepe jus suum non obtenturos, qui vel maximè illud habent, cum non raro contingat, ut pecuniæ dentur mutua; nec Apochâ petita, nec testibus ad actum adhibitis; proin si mutuarius neget sibi mutui nomine datum aliquid, nisi juramentum deferre mutuans ei possit, jure suo innocens cadet. Respondeo enim, hoc casu sibi imputare mutuam debere, quòd cautelas Juris in mutuo dando non adhibuerit. Accedit, quia si Juramentum deferre Actor reo possit, etsi pro se præsumptionem nullam haberet, sapissimè contingeret, ut qui nec jure, nec probatione munitus est, fingeret se mutuas dedisse pecunias. Non dicas 3. reum delatione Juramenti non gravari, quippe qui Juramentum sibi delatum vel præstare potest, si velit, vel referre; dico enim sufficienter gravari, quòd absque causa jurare, & jurando onus probandi debeat in se suscipere: & etsi referre Juramentum possit, hoc tamen tutum non semper est; quia is, qui litem temere eidem intentare non reformidavit, etiam non horrebit pejerare.

Argumenta primæ sententiæ potius¹⁹ confirmant nostram. Ad 1. l. manifesta cit. intelligenda est de eo tantum, qui recusat præstare Juramentum sibi delatum casu, quo adversus ipsum probatio, vel præsumptio militat; nam hac seclusa nolle jurare, vel Juramentum referre nec turpitudinis, nec confessionalis est, cum istud faciens utatur Jure suo. Ad 2. l. tutor cit. dicitur audiendus Tutor pupilli, omnibus alijs probationibus deficientibus; quia pro eo, quòd ex officio publico negotia pupilli curet, præsumptio non modica stat, præsertim cum causa pupilli sit favorabilis. Ad 3. licet probatio in exordio litis cesset, adest tamen potest præsumptio, quæ ad deferendum Juramentum Judiciale sufficiat. Ad 4. negatur paritas; nam respondendo ad articulos positionales causa in Judicio controversa non deciditur, sicut tamen vim litem finiendi habet Juramentum in Judicio delatum parti. Ad 5. patet responsio ex n. præc. Non dicas 3.

Quæritur 3. cui deferri possit Juramentum Judiciale? R. ferè omni, qui potest deferre, quique vel est dominus rei controversæ, vel loco domini. Is autem, cui delatum est, jurare cogitur, nisi justam cau-

fam recusandi alleget, ac probet, cur jurare non debeat, vel nisi Juramentum sibi delatum deferenti alteri parti, seu Adversario suo referre velit *c. fin. h. tit. & l. generaliter 12. junct. Gloss. V. vel referatur C. de reb. credit.* Neque obstat, quod Juramentum etiam Judiciale voluntarium simpliciter sit, & pars in partem potestatem non habeat cogendi, ut deferendo Juramentum jurare debeat; nam approbatione Judicis quodammodo necessarium fit, ut alternativè aut jurare cogatur is, cui delatum est, vel deferenti Juramentum illud referre. Si referat, is, cui relatum est, necessariò præstare id debet, nisi causa justa eundem excuset *l. jusjurandum 34. §. datur 7. ff. h. tit.* ubi ratio indicatur, quia sc. non debet displicere conditio Jurisjurandi ei, qui detulit illud prior. Hinc iterum discrimen est inter Juramentum Voluntarium, & Judiciale; nam Voluntarium absque omni causa recusari potest, & si referatur, is, cui refertur, non obligatur jurare; Judiciale autem non ita liberum est, ut vidimus. Quodsi is, cui delatum est hoc Juramentum, nec juret, nec referat, sed simpliciter recuset Juramentum, idque sine justa causa, si reus sit, condemnatur tanquam convictus ad satisfaciendum petitioni actoris; si Actor, repellitur à limine Judicij *l. jusjurandum cit. §. fin.*

31 Dixi sine justa causa; nam plures sunt Exceptiones, ob quas reus delatum sibi Juramentum Judiciale simpliciter recusare potest, ut videre est apud Henr. Canif. in *c. fin. h. tit. n. 3.* Laym. *ibid. n. 3.* Gonzal. *n. 2.* Haun. *tr. 4. cit. à n. 980.* Vall. *hic §. 5. n. 4.* Pirh. *n. 88.* Engl. *à n. 22.* König *n. 68.* Sannig *c. 5. n. 2.* Et 1. quidem, si is, qui desert hoc Juramentum, nolit jurare de calumnia ad petitionem actoris *l. jusjurandum 34. §. qui jusjurandum 4. ff. h. tit.* ubi statuitur, tum tandem præstandum Juramentum delatum, cum deferens Juramentum de calumnia à se petitum præstiterit. 2. Si deferenti vel ob fori incompetentiam, vel alia ex causa actio non comperat *l. tutor 35. §. fin. ff. eod.* Idem dic, si aliunde, qui desert Juramentum, deferendi potestatem non habet *l. tutor cit. §. prodigus 1.* 3. Si qui semel detulit, & revocavit, denuo illud deferat *l. si quis 11. C. de reb. credit.* quia absurdum est redire ad hoc, cui renuntiandum putavit. 4. Si deferatur super facto alieno ignoto ei, cui Juramentum deferatur, ut quandoque sunt hæredes, tutores, curatores, procuratores &c. esset enim nimis grave ignorantibus --- sub alieni compendij emolumento, etiam perjurium anceps subire, ut dicitur *l. videamus 4. princ. ff. de in lit. jurand.* 5. Si is, cui deferatur, jam antè intentionem suam plenè probaverit testibus, aut alijs legitimis probationibus, vel ita probare eandem velit *c. sicut 2. de probat.* ubi dicitur ad Juramentum tunc solum recurrendum esse, cum aliæ probationes legitimæ

defecerint. 6. Denique si Judici, consideratis circumstantijs, visum fuerit liberare à Juramento eum, cui delatum est; nam ut bene advertit Engl. *hic n. 28.* res hæc plurimum ab arbitrio Judicis pendet: & hinc si viderit illum, qui recusat Juramentum, & paratus est alias probationes exhibere, esse virum honestæ famæ, bonæ conscientie, & fidei probatæ, poterit eum liberare à Juramento; at si ex conjecturis, & circumstantijs appareat Juramentum recusari solummodo protrahendæ litis causâ, & alias probationes exhiberi tantum ad palliandam falsitatem, poterit urgere Judex, ut Juramentum deponat is, cui delatum est.

Quæritur 4. in quibus causis deferri 32 Juramentum Judiciale possit? 33. in omni causa, quæ in Judicio proponi potest, prout colligitur ex *l. ait Prætor 3. §. quacunque 1. §. seq. ff. h. tit.* & docet Ummius *Process. Jud. D. 14. n. 36.* Pirh. *hic n. 39.* König *n. 69.* & alij. In ipsdem causis regulariter delatum etiam referri potest; nam hoc Juramento huic est proprium.

Excipitur tamen 1. in facto alieno; tunc enim si actor factum illud plenè probare non potest, & propterea in supplementum necessariæ probationis Juramentum parti colliganti deferat, non potest ista Juramentum sibi delatum referre, nec recusare, sed præstare illud debet, & si præstare renuat, cogi à Judice ad illud poterit, vel pro confessio habetur, prout sumitur ex *l. Marcellus 11. §. jurare 2. §. seq. ff. de act. rem. amot.* & docet Abb. in *c. fin. h. tit. n. 11.* Pirh. *hic n. 88.* Ratio est, quia tunc actor licitè recusat Juramentum sibi à reo relatum præstare ob periculum perjurij, si juraret de facto alieno, quod ponitur ipsi non satis notum, hoc ipso, quod probare illud plenè non possit. Casus hujusmodi esse potest, quo actor reperit e. g. in arca paterna Instrumentum debiti, quod plenam probationem non facit; nam eo casu si is debitori Juramentum deferat, cum is melius supponatur scire, quid debeat, quàm actor, qui debitum controversum non credit, Juramentum sibi ab actore delatum referre non permittitur.

Excipitur 2. in actione famosa, seu infamante v. g. furti clandestini; nam eo casu, si actor Juramentum reo deferat, non potest iste licitè illud referre, ut habetur *c. fin. cit.* & notat *ibidem* Abb. *n. 12.* Pirh. *n. 88. cit.* Ratio est, quia in ejusmodi causis reus plerumque melius scit veritatem, quàm Actor, sive Accusator, cum reo tanquam de facto proprio certò consistet, actor tanquam de facto alieno saepe non habeat certam scientiam: quo fit, ut bonâ conscientia relatum sibi Juramentum præstare nequeat, ne, ut in Exceptione præc. dixi, se periculo perjurij exponat. Procedit autem hoc solum, quando furtum est tale, de quo actor scientiam

tiam habere nequeat ; nam si furtum non clandestinum, sed apertum sit, factum e. g. præfente actore, ita, ut etiam ipse scientiam de furto habeat, eo casu etiam in actione famosa reus actori Juramentum referre potest, ut docent Abb. Pirh. l. *citt.*

Sed neque universaliter, & sine discrimine in actionibus famosis deferre semper Juramentum licet, sed distinguendum est, an criminaliter agatur de crimine famoso, an solum civiliter. Si criminaliter de crimine famoso agitur, in ijs causis Actor reo deferre Juramentum potest, in quibus licitum est transigere ; quia Juramentum vim transactionis habet, saltem ita, ut præfesto Juramento, Actor repelli debeat, quamvis alius postea de eodem crimine accusare, vel Judex procedere ex officio possit. Si civiliter de crimine famoso agitur, iterum distinguendum, an agat actor ad proprium interesse, an ad interesse plurium, vel totius Communitatis, quæ dicitur Actio Popularis. Si primum, actor reo in actione famosa deferre Juramentum potest ; si secundum, non potest l. 1. §. seqq. ff. de popular. Action. Abb. in c. *fin. cit. n. 13.* Pirh. *hic n. 93.*

34 Quæritur 5. quid requiratur, ut legitime deferatur Juramentum Judiciale ?
 1. requiritur, ut deferens habeat potestatem illud deferendi. 2. Ut deferatur coram competente Judice, qui ordinariè est Judex causæ, super qua Juramentum defertur, vel ejus Commissarius. 3. Ut Judex auctoritate sua delatum approbet. 4. Ut delatio fiat adversa parte, vel ejus Procuratore præfente, nisi post legitimam citationem contumaciter non compareat. 5. Ut fiat de tali re, & in tali causa, in qua deferri possit. 6. Ut actor Juramentum deferens juvetur saltem aliquibus Præfumptionibus non levibus, & arbitrio Judicis æstimandis : quæ omnia patent ex hæcenus dictis.

35 Quæritur 6. quis sit Effectus Juramenti Judicialis ?
 1. alius est, quando delatum est, alius, quando præfistum. Delati effectus est, quod debeat præfari, vel referri secundum dicta n. 30. nisi is, cui delatum est, pro confesso haberi velit. Præfisti effectus complures sunt ; nam 1. ex Juramento isto datur Actio, & Exceptio, ut omnes agnoscunt, Juratoria secundum aliquos Secundum alios judicati: utra verò re ipsa competat, parum interest hujus loci. 2. Ejus præfatio cedit pro probatione l. non erit §. dato 2. l. nam posteaquam §. S. Jurejurando 1. l. sed si 11. §. fin. ff. h. t. 3. Eandem sequitur sententia condemnatoria, vel absolutoria Judicis l. jusjurandum 34. §. fin. ff. eod. tantæ firmitatis, ut appellari ab illa nequeat l. generaliter 12. §. sive autem 3. C. de Reb. credit. 4. causa Jurejurando sic decisa non retractatur per Instrumenta postea de novo reperta, nisi specialiter hoc excipiatur lege l. causa 1. C. eod., vel nisi consensu

ipforum litigantium occasione Instrumentorum de novo repertorum efficiatur, ut alia feratur sententia, per quam prior, quæ in rem judicatam transijt, rescindatur l. latam 1. C. quand. provocat. non est necess. Ratio est, quia Juramentum Judiciale non minus, ac Voluntarium speciem Transactionis habet, quæ regulariter per Instrumenta de novo reperta non rescinditur l. sub prætextu 19. C. de transact.

Extendunt hoc communiter DD. 36 etiam ad casum, quo is, cui delatum est Juramentum Judiciale, perjurium fecit ; nam etiam hoc detecto, putant retractari sententiam ex illo latam non posse, nisi sub hac Legge delatum sit, vel per probationes in continenti paratas, quæ altiozem indaginem, vel longiorem dilationem non requirunt, is, contra quem juratum est, Juramenti falsitatem demonstrare paratus sit. Quod equidem de Juris rigore verum est, ut ex l. causa 1. C. de reb. credit. clarè satis colligitur, & procedit etiam in praxi, si dubium duntaxat perjurium sit. Ceterum æquitate spectata, ubi certum perjurium est, videtur retractari sententiam ex eo à Judice latam posse, cum dolum manifestum contineat, ex quo etiam rescindi Transactioni potest. Eodem modo intellige etiam ea, quæ supra n. 23. de Juramento Voluntario sunt dicta.

Quæritur 6. an Juramentum Judiciale, semel delatum, & acceptatum, à deferente revocari possit ? Affirmant Ummius de Process. D. 14. th. 4. n. 28. & th. 11. n. 65. Setlerus tr. de Juram. l. 4. c. 6. n. 26. Haun. tom. 5. de J. §. J. tr. 4. n. 960. Zæf. ff. h. t. n. 37. Fundantur 1. textual. si quis 11. C. de reb. credit. ibi : Siquis Jusjurandum intulerit, postea (ut pote sibi allegacionibus abundantibus) hoc revocaverit ; & paulo post : Siquis autem Sacramentum intulerit ; & hoc revocare maluerit, licere quidem ei hoc facere §. c. 2. Quia iniquum est, ut aliquis, altero invito, constituatur in causa propria simul arbiter, & testis : quod fieret, si revocari Juramentum delatum, & acceptatum non posset. 3. Quia Sacrilegio proximum est perjurijs aperire januam ; aperiretur autem, si revocationi hoc casu locus non foret. 4. Quia in cæteris conventionibus, præfertim Judicium respicientibus, licet poenitere l. si convenerit 18. ff. de Jurisd.

Sed retinenda est negativa sententia, 38 quàm etiam defendunt Mascard. de Probat. vol. 2. concl. 959. n. 11. §. 12. Schneidev. in §. item si 11. Inst. de action. n. 79. §. seq. Barbos. in l. si quis cit. n. 3. Gilken ibid. n. 1. Brunnean. n. 6. §. seqq. Carpzov. Jurisp. for. p. 1. const. 12. def. 4. Berlich. concl. pract. p. 1. concl. 32. n. 3. & novissimè R. P. Schmier process. Jud. c. 11. n. 161. aliq̄ue ab hoc *citt.* Ostenditur 1. ex communi regula, quod ea, quæ semel deliberatè placuerunt, nequeant ulterius displicere Reg. nemo 75. ff. & Reg. *semel*

semel 21. ac Reg. mutare 33. de R. J. in 6. præcipue in Judicijs, ubi, quæ semel maturo consilio peracta sunt, fiunt regulariter immutabilia, ne cum publico detrimento vel lites nimium protelentur, vel Judicia reddantur elusoria. 2. Quia in mutuis conventionibus, invita altera parte, non licet recedere l. sicut 5. C. de O. & A. atqui Juramenti Judicialis delatio vim conventionis habet; quia habet vim transactionis, ut dictum est n. 35. fin. 3. Quia per delationem Juramenti queritur acceptanti Jus illud referendi, vel præstandi, quod jus eidem invito auferri non debet l. id quod 11. ff. de R. J. ne quod tanquam maximum expediendum litium remedium à Jure inventum est, fomentum fiat earum dilatandarum, & vexandorum hominum.

Neque urgent Argumenta opposita. 39 Ad 1. l. siquis cit. intelligenda est, ubi iusta

causa revocandi adfuerit, qualis esse censetur, si deferens probationes in continenti paratas habeat; quod supponere in l. cit. videtur Imperator ibi, *Utpote Allegationibus sibi abundantibus.* Ad 2. id sibi imputare deferens Juramentum debet, quod illud sponte detulerit, cum juxta regulam l. sicut cit. quæ ab initio sunt voluntaris, postmodum fiunt necessitatis. Ad 3. perjurio præcluditur sufficienter janua, quod deferenti Juramentum, si paratas, & abundantes probationes habeat, illud revocare permissum sit. Ad 4. textus l. si convenerit cit. potius confirmat nostram sententiam; quia ibi solum permittuntur adire alium Judicem, qui Jurisdictionem alieni in se prorogare voluerunt extra Judicium: cæterum si prorogatio facta sit in ipso Judicio, poenitendi potestas eisdem aperte negatur per l. consensisse 2. princ. & l. ubi acceptum 3. ff. de Judic.

S. IV.

De Jurejurando Necessario.

SUMMARIUM.

40. Quid sit Juramentum Necessarium?
41. A quo deferri possit?
42. An etiam à Judice, parte non petente?
43. Cui deferri possit?
44. 45. 46. Regule in hoc observandæ.
47. Cause, in quibus deferri potest: ubi excipiuntur criminales.
48. Quamvis agatur ad penam pecuniariam.
49. Famosa.

50. Civiles ardæ.
51. Matrimoniales.
52. Aliæ, quæ liquidas probationes exigunt.
53. Requisita, ut legitime deferatur hoc Juramentum.
54. Quædam notanda.
55. Effectus hujus Juramenti delati.
56. 57. Præstiti.

40 Queritur I. quid sit Juramentum Necessarium? R. Juramentum Necessarium est, quod Judex, causâ cognitâ, ob inopiam probationis plena uni ex litigantibus desert. Ita quoad rem omnes.

Necessarium dicitur; tum quia necessariò deferitur à Judice, qui, ne litem faciat suam, omittit illud non potest, si ita peratur à parte; tum quia delatum præstat necessariò, neque referri potest, aut recusari sine iusta causa urgente, nisi succumbere, & causâ cadere velit ille, cui deferitur.

Differt à Voluntario, & Judiciali priùs explicatis; quia non ex voluntate partium, ut ista duo, sed à Judice vel ad instantiam partis, velex officio deferitur ad indagandam veritatem.

Finis ejusdem est vel firmare intentionem jurantis aliàs non satis probatam, vel purgare conscientiam suspecti. Hinc duplex ejusdem est Species, Suppletorium, & Purgatorium. Suppletorium est, quod Judex desert parti, quæ semiplenè probavit, ut ejus adminiculo probatio compleatur. Purgatorium verò, quod Judex imponit ei, qui suspicionibus oneratus est, ad inde se pur-

gandum, & ostendendam innocentiam suam.

Queritur 2. à quo deferri possit hoc Juramentum? R. deferri potest à Judice tam Ordinario, quam Delegato; nam l. maximum 1. l. admonendi 31. ff. h. t. & l. in bona 3. l. generaliter 12. princ. C. de reb. credit. loquuntur generaliter. Idem dicendum videtur de Arbitro; nam arbitria ad formam Judicij redacta sunt l. compromissum 1. ff. de recept. qui arbitr. Barb. in c. 32. h. t. n. 1. Zoel. hic n. 31. König n. 77.

Porro deferre Juramentum hoc Judex potest non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio, parte non petente, si ita expedire, & æquum esse Judex putaverit, ut cum probabiliori defendit Abb. in c. fin. S. sanè n. 15. h. tit. Barbosi in c. 32. eod. n. 3. Gaill. l. 1. obs. 108. n. 4. Mascard. concl. 958. n. 47. Haun. tom. 5. de Jur. & Just. tr. 4. n. 1014. Pirh. hic n. 98. König n. 78. Ratio est, quia Judex cuncta rimari, & pro veritate eruenda modis omnibus laborare debet. can. judicantem 11. caus. 30. q. 5. l. Judices 9. C. de Judic. & quodcumque æquitas postulat, interrogare litigantes in Judicio potest

test *l. ubicunque 21. ff. de interrog. in Jur. faciend.* ergo etiam Juramentum parti deferre potest, ut veritate cognita, jultè judicet. Neque obstat, quòd aliàs Judex impertiri officium suum non debeat, nisi petenti juxta *l. dies cautioni 4. §. hoc autem 8. ff. de damn. infect.* id enim intelligendum duntaxat est, quòd Judex in causa Civili vocare reum in Judicium nequeat, nisi ejus officium ab actore imploratum fuerit; nam postquam semel Judicium cœptum est, multa facere potest, quæ actor non petijt.

An verò etiam teneatur Judex deferre hoc Juramentum, parte non petente, controvertitur inter DD. affirmantibus quibusdam, alijs negantibus. *Qui affirmant*, deducunt istud ex *l. in bonæ 3. C. de reb. credit.* ubi Judici imponitur necessitas quædam recurrendi ad Juramentum, quando alioquin non facile potest causam dicere. *Qui negant*, illud colligunt ex *c. fin. §. sanè h. tit.* ubi dicitur, quòd Judex illud possit deferre, non autem, quòd deferre debeat. Utrique sententiæ aliquid tribui potest, si cum Haun. *tr. 4. cit. n. 1019.* dicatur, non quidem tantam necessitatem esse, ut si non delato Juramento, procederet ad absolutionem Rei, propterea sententia esset invalida, esse tamen necessitatem quandam moralem, ita, ut hoc omisso, Judex non censetur exactissime fecisse officium suum, sed aliquo modo reprehensibilis esse. Primam responsionis partem, si aliquid probat, probat textus *c. fin. cit.* Alteram *l. in bonæ cit.* ubi verbum oportet saltem moralem quandam necessitatem indicat: & confirmatur ex *§. sanè cit.* ubi expressè verba diriguntur ad Judicem, ejusque prudentiæ committitur, an actori, vel reo velit deferre Juramentum. Igitur cum ex communi doctrina, quando verba Legis ad Judicem diriguntur, censenda sint requirere illius officium, non solum poterit, sed etiam debebit (non tamen alia, quàm morali necessitate) deferre hoc Juramentum, etiam non petitus.

43 Quæritur 3. cui deferri possit Juramentum Necessarium? Variæ sunt sententiæ. Prima tribuitur Azoni, Accursio, & Baldo, vultque hoc Juramentum deferendum reo. Secunda adscribitur Bartolo, Jafoni, Seraphino, & quibusdam alijs, juxta quos debet deferri actori. Tertia, & communis cum Vallenf. *§. 5. h. tit. n. 11.* Zæf. *n. 39.* Pirh. *n. 89.* König. *n. 80.* Sannig. *c. 5. n. 6.* putat id Judicis arbitrio relinquendum, ut, cui putat esse æquius ad veritatem obtinendam, illud deferat: & videtur hoc colligi ex *c. fin. §. sanè cit. in fin.* modò ille, cui defertur, persona Legalis, ac talis sit, quæ mereatur fidem; qui enim sunt inhabiles ad testificandum in causa aliena, à fortiori inhabiles erunt ad testificandum per Juramentum in causa propria, cum erga rem propriam impensiori,

quàm erga alienam, affectu ducamur. Unimius *l. cit. th. 14. n. 19.* & passim DD.

Porro, ut facilius in hoc negotio Judex ferre possit Judicium, jvari potest sequentibus Regulis. 1. Si Actor in probatione omnino defecit, seu nihil probavit, reus, etsi nihil præstiterit, obtinere, sive absolvi debet, etiam sine Juramento. Ita Gloss. *in l. 3. C. de reb. credit. in notat.* & colligitur apertè ex *c. un. Ut Eccl. Benef. sin. dim. confer. & c. fin. hic*, juxta quos textus, actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, est absolvendus. Ratio est, quia actor accedens ad Judicium proprijs, & non è domo Rei petit probationibus hunc debet convincere: idè, quæ absurdum est, cum aliam probationem desperaverit, tum demum ad Religionem Juramenti convolare. Neque obstat *l. tutor 35. ff. h. tit.* ubi, deficientibus alijs probationibus, permittitur Juramentum; nam ut *n. 27.* explicavi, ad deferendum reo Juramentum requiritur saltem, ut pro actore stet præsumptio.

2. Si actor præsumptionem pro se habet, reo Juramentum deferri potest ad sui purgationem; probabilius autem actori eo casu Juramentum suppletorium Judex deferre nequit, ut post Bartol. *in l. 3. C. de reb. credit.* advertit Abb. *in c. fin. §. sanè cit. n. 8.* tum quia rei favorabiliores potius, quàm actores habentur *l. favorabiliores 125. ff. de R. J.* tum verò maximè, quia cum Juramentum tantum semiplenè probet, & actor non semiplenam probationem, & præsumptionem tantum pro se attulerit, plena probatio per Juramentum non efficeretur.

3. Si Actor semiplenè probavit intentionem suam, reus verò nihil probavit, & pro defensione sua aliud nihil præstitit, quàm quòd negarit intentionem Actoris, Actori potius deferendum est Juramentum, quàm reo. Menoch. *de arbitr. cas. 190. n. 20.* Fachin. *l. 1. contr. c. 18.* Unimius *D. 14. th. 16. n. 87.* Vinnius *select. quest. l. 1. c. 44.* Engl. *hic n. 37.* Wiest. *n. 34.* & novissimè P. Schmier *Proceff. Judic. c. 11. n. 177.* & duob. seqq. Colligitur ex *§. sanè cit.* ubi dicitur, quòd Judex inspectis circumstantijs causarum, & personarum, actori Juramentum suppletorium deferre possit. Nulla autem est major circumstantia, quæ movere Judicem possit ad deferendum Juramentum Actori, quàm cum is intentionem suam semiplenè probavit, reo contra nihil probante; tunc enim meritò opinari potest, quòd actor veritatem dicat, reus autem mentiatur.

4. Si semiplena probatio allata est ab utroque, Juramentum deferendum est reo, ut patet ex *§. sanè cit.* & *l. admonendi 31. ff. h. t.* nisi actoris probatio propter dignitatem, vel integritatem personæ &c. dignior foret; tunc enim Juramentum huic deferendum esse existimat Fachin. *c. 18. cit. in fin.* Menoch. *n. 19.* Rosbach. *prax. Civil. tit. 67. n. 6. P. Wiest.*

Wiest. n. 35. P. Schmier n. 180. quòd sic major
esset probabilitas obtinenda veritatis.

45 5. Si actor plenè probavit, reus con-
trarium probavit semiplenè, sententia fertur
pro actore & juramentum reo non deferitur,
neque deferri potest. Abb. in c. fin. §. sanè cit.
n. 10. Durand. specul. tit. de Juram. delat. n.
10. P. Wiest. n. 35. cit. P. Schmier n. 183.
Ratio est, quia plena probatio Actoris in-
fringi non potest per contrariam Rei semi-
plenam, cum in Judicio is obtineat, qui ple-
nitus probavit. Excipitur, si probationes
utriusque non sint contrariæ, sed compossi-
biles, ut fieret, si Actor probasset plenè mu-
tuum à se datum Cajo, Cajo semiplenè pro-
basset solutionem mutui à se factam; tunc
enim non obstante plena probatione Acto-
ris, Juramentum à Judice deferendum est
reo, nisi etiam contra hanc Exceptionem
actor plenam probationem afferat. Ratio
est, quia Juramentum suppletorium deferen-
dum est illi, qui semiplenè probavit id, cujus
oppositum Adversarius nullo modo proba-
vit. Atqui hoc modo res se habet in casu
controverfiæ; nam licet Actor plenè pro-
baverit se mutuum dedisse, nullo tamen mo-
do probavit semiplenè non fuisse factam
solutionem: unde reus se habet hic ut actor,
Actori autem semiplenè probanti deferitur
Juramentum suppletorium, quando Adversa-
rius contrarium non probavit, ut prius
dictum est. Ergo &c.

46 6. Si tam Actor, quam Reus plenè
probaverint intentionem, tunc iterum confi-
derandum est, an probationes sint contrariæ,
vel compossi-biles. Si compossi-biles sint, ut
in casu num. præc. probatio Exceptionis
enervat intentionem Actoris, & conf. non est
opus Juramento suppletorio, sed sine hoc
ferenda est pro reo sententia. Si contra-
rie sint, e. g. quòd Actor mutuum à se
datum Cajo plenè probet per duos testes,
Cajo per alios duos testes plenè probet
mutuum se ab Actore non accepisse, iterum
Judex attendet ad qualitatem personarum,
& alias circumstantias, & illi deferet Jura-
mentum, in quo major est probabilitas ob-
tinendæ veritatis. Si omnia sint paria, posset
quidem Judex reum absolvere, si tamen Jura-
mentum deferendum putet, potius reo defe-
ret, cujus melior, & favorabilior est conditio.

47 Quæritur 4. in quibus causis deferri
Juramentum necessarium possit à Judice?
Juramentum necessarium in supplemen-
tum probationis regulariter à Judice de-
ferri potest in quavis causa, quæ specialiter
Jure non excipitur, ut patet ex l. ait Prætor
3. §. in quacunque ff. h. tit. & l. in bone 3.
C. de reb. credit. Ratio est, quia Jura-
mentum suppletorium est de genere permissio-
rum, ac proinde deferri potest in omnibus
causis non exceptis.

Excipiuntur autem 1. Cause crimina-
les criminaliter intentatæ; nam in his licet reo

ad sui purgationem Juramentum à Judice de-
ferri possit c. fin. §. sanè h. t. non tamen
potest actori deferri Juramentum supple-
torium ad complendam probationem, si
tantum semiplenè probavit. Ita Menoch.
de Arbitr. cas. 464. n. 2. Pacian. de Probat. l.
1. c. 39. n. 11. Fachin. l. 1. contr. c. 18.
Haun. tom. 5 de J. & J. tr. 4. n. 1038. We-
senbec. ff. h. tit. n. 10. Wagn. in c. fin. cit.
Vallens. hic §. 6. n. 2. Pirh. n. 95. Engl. n. 35.
König n. 84. Wiest. n. 36. Ratio est, quia
in criminalibus causis criminaliter intentatis
requiruntur probationes plenissimæ, & quæ
sint luce meridiana clariores l. fin. C. de pro-
bat. & necesse est reum esse vel confessum,
vel convictum; ut condemnari possit l. qui
sententiam 16. C. de pœnis, talis autem proba-
tio, quæ habet solum ex Juramento Acto-
ris supplementum suum; non potest
dici luce meridiana clarior. Ergo non
Juramentum, sed tortura potius est ad-
hibenda, ut semiplena actoris probatio
confirmetur confessione Rei. Si verò i-
ste nec in tortura fateatur crimen, vel talis
persona sit, quæ ob dignitatem suam torqueri
non debeat, potius debeat absolvi, cum hoc
fiat sine præjudicio tertij, & melius sit de-
cem nocentes absolvi, quam unum innocen-
tem condemnari.

48 Proceditque hoc, etiam si ex cri-
mine non agatur ad pœnam corporalem, sed
ad pecuniariam applicandam fisco, ut con-
tra Clar. §. fin. q. 63. n. 3. Berlich. Concl.
pract. p. 1. concl. 54. n. 7. & seqq. Carpz. p.
1. cons. 23. d. 11. n. 4. & alios probabilius
docent Menoch. de arbitr. cas. 464. n. 3.
Haun. tr. 4. cit. n. 1039. & probari videtur
ex can. sciunt 2. caus. 2. q. 8. §. l. fin. C. de
probat. ubi in causis criminalibus sine distin-
ctione requiruntur probationes evidentes.
Ratio est, quia causæ criminales, etiam le-
ves, dicuntur quavis causa Civili graviore.
Atqui in causa Civili ardua, ut mox di-
cetur, non potest deferri hoc Jura-
mentum.

Ergo &c. Aliud est, si de cri-
mine ad pœnam pecuniariam agatur solum
civiliter; nam tunc si actor intentionem suam
probavit semiplenè, & actio non sit famosa,
ex communi DD. opinione Juramentum
suppletorium deferri potest. Et ita in-
telligendus est textus l. ait Prætor 3. §. qua-
cumque 1. ff. h. t. ibi: Pœnali actione, & c. fin.
eod. ibi: famosa actione: quod colligitur ex
verbo Actione utroque in loco usurpato; ubi
enim criminaliter agitur, dicitur potius ac-
cusatio, quam actio l. de fide 16. C. ad Leg.
Cornel. de fals.

49 Excipiuntur 2. cause omnes famose,
in quibus condemnatus sit infamis, e. g. causa
furti, injuriarum, usurarum; quia infamia per
se loquendo est malum civile gravissimum,
& prudenter multis jacturâ bonorum, imò
& morte gravius l. justa 9. princ. ff. de manumissi-
vincti. Vivian. in c. fin. h. t. Laym. ibid. n.

3. § 4. Barbof. n. 1. Haun. tr. 4. cit. n. 1046. & hoc teste communis, & vera sententia. Potest tamen eo casu Judex reo deferre Juramentum Purgationis, ut expressè habetur l. furti 6. §. sed etsi 4. ff. de his, qui not. infam. & l. Lex Cornelia 5. §. hac lege 8. ff. de injur. & famos. libell. ibi: Hac Lege permittitur &c. Ex quo confirmatur 1. exceptio; nam si in hujusmodi causis famosis Jura velent Juramentum suppletorium deferri posse auctori, profectò iniquum esset, Juramentum purgationis deferri reo. Conf. 2. ex c. fin. §. sanè cit. ubi in actione famosa non permittitur reus referre Juramentum sibi delatum. Ergo supponitur etiam non permitti, ut auctori deferatur; nam si illi deferri posset, à fortiori permitteretur referri.

50 Excipiuntur 3. cause Civiles, etiam non famosæ, sed valde arduæ & magnæ, quæ causis criminalibus æquiparantur. Mynsing. cent. 1. obs. 18. n. 4. Gaill. l. 2. obs. 94. n. 8. Mascard. de prob. concl. 958. n. 30. Laym. l. 4. Theol. mor. tr. 3. c. 5. n. 3. dist. 2. Barbof. in c. 2. de prob. n. 48. Vall. hic §. 6. n. 2. Pirh. n. 96. Engl. n. 35. König n. 82. Wiest. n. 38. Ratio est, quia hoc casu ob suspicionem perjuri Juramentum non faceret semiplenam probationem, sed tantum indicium, & præsumptionem. Hinc si auctor in hujusmodi causa plusquam semiplenè probavit, ita, ut valde parum de plena probatione desit, etiam in his causis Juramentum suppletorium reo deferri potest. Idem dicendum, si is, contra quem agitur, de mendacio, vel perjurio antea convictus fuit; nam hic, si alia adminicula concurrant adversus ipsum, pati debet, ut contra eum in alia causa, etsi magna, juretur in supplementum probationis. Quenam autem sint cause arduæ, & magnæ, Judicis arbitrio deferri solet. Menoch. de arbitr. cas. 190. n. 18.

51 Excipiuntur 4. Cause Matrimoniales; quia etiam ipsæ graves, & arduæ esse censentur, cum agatur quasi de statu hominis, & per illud quodammodo servitus constituatur. Gloss. c. mulieri 34. V. absolutio h. t. Mascard. concl. 958. cit. n. 43. Barbof. in c. 34. cit. n. 4. Haun. tr. 4. cit. n. 1044. Vall. §. 6. cit. n. 4. Pirh. hic n. 97. Wiest. n. 39. Ubi tamen distinguendum est, an agatur de matrimonio dissolvendo, an de eodem contrahendo, vel contracto sustinendo. Si primum, satis convenit inter DD. Juramentum suppletorium probationis à Judice illo casu deferri non posse, cum non conveniat tam grave negotium religioni conjugis impedimentum afferentis committere; unde opus eo casu erit, ut plenæ afferantur probationes de impedimento. Si secundum, & is, qui post semiplenam probationem deferri sibi Juramentum petit, sit probitate & integritate conspicuus, & inferiorem, vel certè non superiorem in Matrimonium perat, ad in-

stantiam ipsius supplementum probationis deferri potest à Judice, prout colligitur ex c. mulieri cit. ibi: præstito Juramento. Idem quoque hoc dicendum de Matrimonio Spirituali, sive Professione Religiosa, ut notat Pirh. l. cit. nam validum est argumentum à Matrimonio carnali ad spirituale, & à pari procedunt.

Excipiuntur 5. omnes illæ cause, in quibus Lex, vel Statutum requirit legitimas manifestas, liquidas, indubitatas, plenas & evidentes probationes. Haun. n. 1050. Ratio est, quia intentio Statuti est requirere tales probationes, quales in criminalibus requiruntur per l. fin. C. de Probat. hoc ipso enim, quod velit fieri probationes plenas, excludere censetur supplementum probationis, quæ est quædam probationis reductio. Admittunt tamen etiam in his causis aliqui Juramentum suppletorium deferri posse auctori, si plusquam semiplenè probaverit intentionem suam, & insuper alia indicia, & præsumptiones probationem ejusdem adjuvent: quod Haun. n. 1051. concedit in ijs casibus solum, in quibus hoc sufficere concedunt Jura, & Doctores; in alijs negat.

Quæritur 5. quid requiratur, ut Juramentum hoc dicatur legitime delatum parti? Quid requiratur, ut Juramentum purgatorium legitime delatum sit, dicitur Libr. 5. Tit. 43. de purgat. Canon. Ut Juramentum Suppletorium legitime deferatur, plura sunt requisita, quæ enumerant Marant. de Ord. Judic. p. 6. tit. de Juram. n. 4. & seqq. Mynsing. cent. 1. n. 1. & seqq. Pax Jordan. l. 14. tit. 22. n. 146. & seqq. Haun. tom. 5. tr. 4. à n. 995. Wagn. in c. fin. h. t. Pirh. hic n. 91. König n. 85. Sunt autem sequentia 1. ut à Judice deferatur, & quidem prævia cognitione causæ l. in bonæ 3. C. de reb. credit. Consistit autem ista cognitio causæ potissimum in eo, ut Judex bene consideret, & attendat circumstantias tum causæ, in qua defertur, tum personæ, cui defertur, an utrobique adsint omnia, quæ ad deferendum hoc Juramentum requiruntur à Jure. 2. Ut deferatur altera parte præsentè, vel citata ad videndum deferri; alioquin non valeret, ut cum alijs notat Gaill. l. 1. obs. 108. n. 8. ubi tamen addit, hoc non observari in Camera, sed sufficere citationem ad totam causam. 3. Ut deferatur ei, qui veram scientiam rei habet per sensum corporeum; quia sic jurans æquiparatur resti, qui si deponat tantum de credulitate, & non de visu, vel alio sensu corporeo, regulariter nihil probat, ut dictum est Tit. 20. n. 115. 4. Ut is, cui defertur, sit persona honesta, & bonæ vitæ; nam personæ vili, & suspectæ de perjurio non defertur, quippe quæ nec in aliena causa, licet illi minus afficiatur, pro teste admittitur. Tit. 20. cit. n. 28. 5. Ut causa non sit ardua, seu gravis, &

& magni momenti; nam in causis arduis, & criminalibus non deferitur Juramentum suppletorium Actori, ut dictum est n. 47. § segg. 6. Ut sit semiplenè probatum, & quidem concludenter, atque ita, ut dicta semiplena probatio non sit elisa in aliquo per contrarias probationes; nam aliàs non faceret plenam probationem, cum ipsam Juramentum per se tantum faciat semiplenam. 7. Ut deferatur, vel saltem petatur deferri ante conclusionem in causa; nam post conclusionem in causa non amplius deferri potest ad instantiam partis: cum illa probationibus, & conf. juri petendi Juramentum suppletorium renuntiàrit.

45 Circa hoc ultimum requisitum sequentia adverti debent. 1. Deferri hoc Juramentum posse, etiam post publicatas Attestationes: imò tunc omnium optimè deferitur; quia tunc solum potest constare parti, quantum in causa probatum sit, ut consulere sibi Juramentum petendo possit. 2. Sufficere, si ante conclusionem in causa petatum sit, licet post conclusionem in causa deferatur à Judice, vel præstetur à parte. 3. Regulariter hoc Juramentum deferri posse usque ad conclusionem in causa, nisi certus terminus probatorius assignatus esset: ubi distinguendum, an terminus probatorius assignatus sit simpliciter v. g. dicendo, Probationes fiant intra tres septimanas, an sub terminis universalibus, & extensionem significantibus, nempe per omne genus probationis. Si primum, sic constituendo terminum videtur Judex respexisse ad probationes propriè tales, & conf. licebit, etiam elapso termino probatorio, petere Juramentum. Si secundum, præsumitur ejus intentio voluisse coarctare terminum etiam ad Juramenti petitionem, Haun. tom. 5. tr. 4. cit. n. 1027. Contrarium tamen defendit Ummius ib. 17. n. 92. 4. Post conclusionem in causa partem non amplius posse petere delationem Juramenti; quia cum post attestationum publicationem pars scire possit, utrum intentionem suam plenè probaverit, hoc ipso, quòd Juramentum non petierit, sed in causa concluderit, censetur fassa fuisse jus partis adversæ: unde si illud deferri velit post conclusionem in causa, non allegatà causà probabili ignorantia, vel alterius impedimenti, præsumptio est contra ipsum, quòd sciens causam non satis bonam habeat, cum auxilium adeo facile tempore à Jure constituto adhibere neglexerit. 5. Judicem ex officio tam ante, quam post conclusionem in causa Juramentum istud deferre posse, ut cum alijs advertit Gaill. l. 1. obs. 108. n. 4. § 5. Ratio est, quia Judex cuncta rimari, & pro habenda veritate omnibus modis laborare debet. Deinde Judici in causa nunquam concluditur l. ubicunque 21. ff. de interrog. in Jur. faciend. ergo si ita necessarium esse judicet ad feren-

dam justam sententiam, poterit Juramentum istud deferre Judex.

Quæritur 6. quis sit Effectus Juramenti Necessarij? n. Juramenti Purgatorij effectus est Purgatio suspicionis, de quo iterum ex instituto Lib. 5. tit. 34. de Purg. Canon. Juramentum suppletorium quoad effectum dupliciter spectari potest, sc. ut delatum, & præstitum.

Delatum operatur absolutam necessitatem illud præstandi; neque enim referri illud adversario, vel recusari potest, nisi ex justà causa, ut habetur in c. fin. h. tit. l. generaliter 12. §. sed juramento 1. & §. seq. C. de reb. credit. & docent Marant. p. 6. tit. de Juram. n. 2. Wefenbec. ff. h. t. n. 7. § 10. Vivian. in c. fin. cit. Laym. ibid. n. 1. Gonz. n. 2. Barbof. n. 1. Vall. §. 5. hic n. 10. Zcef. n. 34. König n. 80. Qui sine justà causâ recusat Juramentum istud sibi delatum à Judice, causâ cadit, & contra illum pronuntiat Judex, cum tali casu causa id recusandi unica esse præsumatur metus perjurij. Gonz. n. 2. cit. Sed neque Judex, postquam hoc Juramentum aliquando detulit, remittere illud potest, sicut partes à se delatum possunt, ut colligitur ex l. in bone 3. C. de reb. credit. ubi expressè dicitur, quòd causâ cognitâ, rem Jurejurando decidi oporteat. Excipitur, si post delatum Juramentum Judex advertat, personam, cui delatum est, talem esse, cui deferri prohibeatur; tunc enim potest illud revocare arg. l. quòd jussit 14. ff. de re judic. Ratio est, quia lapsus est inculpabili ignorantia, quæ cum fuerit causa delationis, sequitur delationem fuisse involuntariam. Porro eadem causâ, quas supra n. 31. dixi esse justas, ut recusari possit Juramentum Judiciale, sufficienter etiam, ut recusari Juramentum necessarium possit: in quo ne insufficientes, & frivola asserantur, permittitur Judici, ut ipse examinet justitiam causâ, & siquam non satis justam invenerit, illam rejiciat, ita tamen, ut pars litigans, si in hoc injustè gravari se putet, appellare possit, ut colligitur ex §. sed juramento cit. junct. Gloss. V. auxilium.

Præstiti effectus est, quòd probatio-56 nem imperfectam integret, & perficiat, conf. faciat, ut sententiâ ferri debeat pro eo qui juravit. Vall. hic §. 7. n. 2. Haun. tr. 4. cit. n. 1031. König n. 89. Sannig c. 6. n. 1. cum alijs. Ab hac tamen sententiâ non tantum infra decennium, ut in alijs sententijs, appellare est licitum, sed potest illa quocumque tempore ob Instrumenta noviter reperta retractari, & rescindi, etiam ab eodem Judice, ut habetur l. admonendi 31. ff. h. t. Ratio est, quia Juramentum Necessarium Judex ex inopia probationum detulit. Ergo copia probationum emergens illud infirmat. Accedit, quia in hoc Juramento non intercedit consensus litigantium, cum Judex uni id deferat invito al-

tero. Igitur æquum est hunc audiri, si per Instrumenta noviter reperta probare possit Adversarium jurasse falsum. Proinde cum *l. sub specie 4. C. de re judic. & l. Imperatores 35. ff. eod.* dicitur sententiam, quæ transit in rem judicatam, instrumentis novis repertis non retractari, id intelligendum est, quando ordinaria cognitione, & probatione definita est lis, non verò quando inopiã probationum ex Religione, & fide ipsius partis decisa est, ut bene advertit Wefenbec. *ff. h. t. n. 11.* Estque perinde, si actor inveniat nova Instrumenta ad probandam intentionem suam, si reus ad ostendendam liberationem, & solutionem factam. Ratio est, quia reus est favorabilior actore, conf. quod Actori permittitur, reo minimè denegari debet.

57 Idem aliqui dicendum volunt, cum novis testibus sententiæ per Juramentum decissæ falsitas ostendi potest; nam etiam tunc rescindendam docent, eò, quòd etiam testes Instrumentorum appellatione contineantur *l. Instrumentorum 1. ff. de fid. Instrum.* Sed alij de hoc dubitant, & ostendunt, majorem esse rationem, quòd sententiæ Jura-

mento lata rescissio magis tribuatur Instrumentis noviter repertis, quam testibus noviter productis; nam 1. in testibus est periculum subornationis; quòd non est in Instrumentis.

2. Frequentius accidit Instrumenta latentia de novo reperiri, quam inveniri novos testes, qui intra terminum probatorium haberi non potuissent.

3. Universim in testibus facilius fraus committitur, quam in productione Instrumentorum.

Quidquid de hoc sit, certum est ob Instrumenta noviter reperta rescindi sententiam Juramento latam posse. Neque obstat, quòd id non fiat in Juramento Voluntario, & Judiciali; nam disparitas est, quia Juramentum Necessarium devertitur à Jure, Juramentum Voluntarium autem, & Judiciale à parte cum consensu alterius partis, adeoque rationem conventionis habet: quòd autem semel conventionem mutua sopitum, transactumque est, non debet iterum sub specie Instrumentorum postea reperorum retractari, præsertim accedente Juramenti Religione.

S. V.

De Furejurando in litem.

SUMMARIUM.

58. Quid, & quotuplex sit Juramentum in litem?

59. Quis deferre possit?

60. Cui possit deferri?

61. Cui non?

62. An etiam heredi?

63. 64. Contra quem deferri possit?

65. 66. In quibus causis?

67. Quis modus illud præstandi?

68. An cogi quis ad illud præstandum possit?

69. Effectus hujus Juramenti.

70. Finit.

58 **Q**uaritur 1. quid sit Juramentum in litem? Hæc est altera, ut n. 9. dixi, species Juramenti Affertorij. In litem Juramentum dicitur, quia principaliter in litem, aut potius in ipsam litem, i. e. rei in Judicium deductæ æstimationem concipitur: unde etiam *Litis æstimatio*, seu *Juramentum litem æstimatorium* dicitur. Definitur, quòd sit *Juramentum quo lis, seu res, de qua in Judicio agitur, æstimatur l. 1. & seqq. ff. de in lit. jurand.* Wefenbec. *ff. ibid. num. 2.* Pax Jordan. *l. 14. tit. 22 n. 362.* Haun. *tr. 4. num. 1075.* Wagn. in *Rubr. fin. hic, König num. 92.*

Triplex dividitur, videlicet in Juramentum Veræ æstimationis, Juramentum Affectionis, & Juramentum super interesse singulari, seu extra rem. *Juramentum veræ æstimationis*, seu *Veritatis*, ut alij vocant, est, quòd deferretur ad cognoscendam quantitatem, seu verum valorem rei per alterius vim, aut dolum amissæ c. *fin. de iis, quæ vi metusve causa &c. l. in actionibus 1. §. sed in his 3. ff. de in lit. jur.* *Juramentum affectionis* illud dicitur, quòd

deferretur super æstimatione rei valde charæ ob dolum alterius amissæ, vel destructæ, non secundum valorem communem, & taxationem, sed secundum privatam affectionem, & utilitatem consideratæ *l. videamus 4. §. jurare 2. ff. eod. Juramentum super interesse singulari, seu extra rem prælitatur v. g. super damno, quòd propter pecuniam e. g. alibi depositam, debito tempore non restitutam, deponens est passus, quia propterea vinum, frumentum &c. postea majori pretio debuit emere l. nummis 3. ff. eod.*

Omnia hæc in Judicio locum habent: neque obstat, quòd in Jure affectionis ratio non habeatur, sed tantum pretij, quòd ex communi Judicio, non singulorum utilitate desumendum est, ut habetur *l. 33. ff. ad leg. Aquil. l. 63. ff. ad Leg. Falcid. & l. 6. §. 2. ff. de operis servorum*; nam hæc Jura loquuntur, seclusâ poenâ contumaciæ in restituendo, ob quam potest Judex, Jure sic permittente, hæc poena afficere reum, ut debeat affectioni actoris, per Juramentum taxandæ, satisfacere *l. rem, 1. & l. tutor 8. ff. de in lit. jur.*

Hinc

Hinc ut Juramentum affectionis deferri possit, opus est, quod is, cui deferretur, condemnatus sit de dolo, quo moram trahat in restituendo.

Quæritur 2. quis deferre Juramentum hoc possit?

¶. cum distinctione; nam *Juramentum Veritatis* (idem dici debet de *Juramento super interesse singulari*) deferri potest non solum à Judice, sed etiam à reo, præsentem tamen Judicem; *Juramentum Affectionis* autem à solo Judice: si alius detulerit, vel eo non delato, juratum sit, nullum erit *Juramentum* l. *videamus 4. §. deferre 1. ff. de in lit. jur.* Marant. p. 6. tit. de *Juram.* n. 16. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 1084. König hic n. 95. Ratio est, quia, ut n. præc. insinuatum est, *Juramentum affectionis* deferretur in poenam doli, & contumacia; solus autem Judex potestatem puniendi habet. Similis ratio non pugnat in *Juramento veritatis*; nam eo *Juramento* non coercetur dolus, & contumacia Rei, sicut per *Juramentum affectionis* fit, & cons. rationem poenæ non habet. igitur etiam à Reo deferri poterit, cum ratio nulla sit restringendi.

Dubium est, an Judex necessariò deferre *Juramentum* hoc debeat? Affirmat Ant. Faber, in hoc secutus Bartolum. Vera sententia distinguit: nam quando res dolo, & contumacia non restituta non amplius extat apud reum, tunc equidem ad officium Judicis spectat hoc *Juramentum* deferre, & hoc modo contumaciam plectere. At si post contumaciam res adhuc extat, tunc est in arbitrio Judicis, an auferre rem à reo velit militari manu, an contra *Juramentum* deferre auctori l. *videamus 4. §. Jurare 2. & l. in actionibus 5. §. sed Juxta 1. ff. de in lit. jur.*

Quæritur 3. cui deferri *Juramentum* hoc in litem possit?

¶. 1. potest deferri auctori, qui dominus litis est, & litem suo nomine contestatus est l. *vulgò 7. ff. de in lit. jurand.* Extenditur etiam ad agentem actione Publicana; nam licet eo casu non prætendat absolute dominium, tamen pro domino, seu instar domini habetur, & consideratur, adeo, ut si in libello diceret se esse dominum, non rejiceretur; quia vocabulum *Dominus* intelligeretur acceptum in sensu latiore. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 1087. 2. Tutori in causa Pupilli, Curatori in causa Minoris Clientis sui, dummodo non ad suam, sed ad domini utilitatem Jurisjurandi æstimationem referant, ut colligitur ex l. *videamus 4. princ. ff. de in lit. jurand.* & ratio est, quia licet domini litis non sint, in Jure tamen loco domini habentur l. *tutor 27. ff. de administr. tutor. & l. qui fundum 7. §. si tutor 3. ff. pro emptor.* Quia tamen rei, de qua agitur, utpote alienæ, justam ignorantiam habere possunt, cogendi non sunt, ut in litem hoc casu jurent, ne sub alieni compendii emolumento perjurium anceps subeant, ut dicitur l. *videamus princ. cit.*

3. *Heredibus defuncti*, ita tamen, ut non de defuncti, sed sua jurent affectione: sufficit autem illos ab alijs sibi comparare notitiam, & de credulitate jurare, ut notat Eckolt in l. 7. ff. de in lit. jur. §. 4. & ex eo advertit König n. 100.

E contrario in litem jurare non potest 1. Mater pro filio; quia non est dominus litis l. *videamus princ. cit.* 2. *Pupillus* etiam in causa propria *princ. cit.* & ratio est, quia etsi sit litis dominus, sicut & aliarum rerum quarumlibet, in Judio tamen sine Tutore non potest consistere l. *si cum esses 1. C. qui legit. person. stand. in Judio.* sed Tutore auctore agit, & convenitur l. *in rebus 2. C. eod.* sicque non tam ipse litem contestari videtur, quam Tutor. Aliud dicendum de minore; nam iste, etsi requirat in lite assententiam Curatoris, in litem tamen jurare potest l. *videamus princ. cit. in fin.* quia litem nihilominus suo nomine contestari videtur. Haun. n. 1091. 3. *Procurator*; quia licet per litis contestationem evadat dominus litis, i. e. instantiæ, non tamen suo, seu principalis nomine eandem est contestatus. Pax Jordan. tit. 22. n. 367. Haun. n. 1086. König n. 97. Hodie tamen etiam Procuratorem, si is speciale mandatum habeat, *Juramentum* hoc in mandantis animam præstare posse cum Rosbachio notat Haun. n. 1088.

Dubium est, an *Juramentum* in litem delatum Auctori, qui acceptavit quidem illud, sed antequam præstaret, mortuus est, deferri postea hæredi ejusdem possit? ¶. distinguendo: aut enim constat sufficienter, eum, cui delata est Jurisjurandi conditio, paratum fuisse ad jurandum, quia v. g. seipsum obtulit, vel procuratori à se constituto speciale ad hoc mandatum dedit; aut contra non satis constat defunctum paratum fuisse ad sic jurandum. Si primum, testatur Mynsing. cent. 1. obs. 13. in Camera decisum esse, non solum hæredibus *Juramentum* deferri posse, sed perinde esse, acsi defunctus jurasset ipse, eo quod mors tali casu loco *Juramenti* sit, cum quilibet ibi præsumatur esse memor salutis suæ, nec velle mori in tam peccaminosa voluntate alterum injustè, & cum injuria lædendi. Si secundum, videndum, an hæredes insufficientem rei notitiam habeant, vel non; nam si istam habeant, non est causa, cur ipsis deferri *Juramentum* istud non possit.

Quæritur 4. contra quem reum deferri possit *Juramentum* in litem? De *Juramento Veritatis* nulla est difficultas; nam deferri potest contra quemcunque reum, cujus causa agitur. De *Juramento Affectionis* major est difficultas. Certum est ex dictis n. 58. fin. posse deferri contra illum, qui rem restituere condemnatus ob dolum vel non restituit, vel non exhibet, vel dolo fecit, quò minus restituere possit.

Dubium triplex oritur. 1. utrum deferri possit contra heredem defuncti, si iste fuit contumax? 2. an contra tertium possessorem? 3. an contra eum, qui quidem formalem dolum non commisit, sed tamen latam culpam, quâ factum est, ut rem amplius restituere nequeat?

Ad 1. Vel lis est contestata cum defuncto, vel nondum est contestata. Si primum, etsi hæres dolum non commiserit, Juramentum contra ipsum deferri potest; tunc enim est prosecutio actionis jam cœptæ cum defuncto. Si secundum, & hæres in dolo non sit, deferri contra eundem non potest; cum enim deferatur solum propter dolum, dolo defuncti ante actionem cœptam obesse hæredi non potest.

64 *Ad 2.* dicendum non posse deferri contra tertium, si ipse in dolo non sit, quo minus rem exhibeat. Haun. n. 1095. Ratio est, quia cum careat culpâ doli, & contumaciâ, non est puniendus. atqui puniretur, si contra eum deferretur Juramentum affectionis. ergo &c. *Procedit hoc*, etiamsi ille tertius possessor dolo fecisset, ut res aliena ipsi traderetur; nam si deinde absque dolo rem illam perdidit, vel destruxit, jurari contra eum non potest; quia, ut Haun. n. 1097. advertit, dolo à principio commissus, non consideratur in delatione Juramenti, sed qui committitur cum contumaciâ in non restituendo.

Ad 3. teste Haun. n. 1092. communis, & vera est sententia affirmativa contra Accursium. Constat arg. l. is qui 2. C. de in lit. jur. Ratio est, quia lata culpa dolo æquiparatur. Neque obstat l. videmus 4. §. fin. & l. in actionibus 5. §. sed in his 3. ff. eod. ubi dicitur ob dolum solum in litem jurari, non etiam ob culpam. nam ex consueto modo loquendi in Jure, quando vox culpa sine addito ponitur, de culpa levi intelligitur: & ita ex allatis textibus rectè probatur ob culpam levem deferri Juramentum Veritatis posse, quando Judex non potest aliunde veritatem cognoscere.

Ex hac responsione solvi potest dubium, quod quarto loco aliqui hic faciunt, an sc. ob dolum præsumptum possit hoc Juramentum Affectionis deferri; nam ob latam culpam, ut modò dictum, deferri potest, sed lata culpa est dolo præsumptus, ergo &c.

65 *Quæritur 5.* in quibus causis deferri Juramentum in litem possit? 1. distinguendo inter Juramentum Veritatis, & Affectionis.

Juramentum Veritatis deferri potest in omnibus omnino actionibus, undecunque illæ oriantur, tam in actionibus stricti Juris, quam bonæ fidei, tam quæ ex contractu, quam quæ ex delicto competunt l. in actionibus 5. ff. de in lit. jurand. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 1123. König n. 106. Tria tamen

requiruntur, ut in his Judicijs Juramentum deferri possit. 1. ut culpâ debitoris saltem levi factum sit, quo minus res possit restitui, aut tradi, quæ de Jure tradenda esset. 2. ut aliunde constare nequeat, quanti res tradenda æstimanda sit, adeoque veritas indagari debeat per Juramentum. 3. ut æstimatio per Juramentum Veritatis referatur non ad tempus obligationis contractæ, sed solutionis faciendæ, nisi mora five extra Judicium, five in Judicio contracta fuerit; tunc enim à tempore moræ factæ computatio fieri debet tot. Tit. C. de usur. rei judic. & ratio est, quia æquum est, ut Actor à tempore moræ totum id consequatur, quo unquam plurimi fuit, usque dum ipsi satisfiat à reo l. cum fundus 31. princ. ff. de reb. credit. Hæc si conveniant, rectè deferuntur non tantum à Judice, sed etiam à reo, ut n. 59. dictum est; quod confirmatur, quia hic agitur de interesse Actoris, & ne iste à reo plus petat, quam quantum valet res, quam hic sua culpâ nequit restituere, & quantum interest. cur ergo non liceat reo deferendo Juramentum Actori istum constituere quasi Judicem in causa, sicut potest in Juramento Judiciali?

Minus ampla potestas est in deferendo 66 *Juramento Affectionis*; præterquam enim, quòd, ut n. 58. §. 59. dixi, deferri possit à solo Judice, & tantum, ubi intercessit aliquis dolus, etiam non in omnibus passim causis deferri potest, ut patet ex l. in actionibus 5. ff. de in lit. jur. ubi triplex solum genus actionis refertur, in quibus Juramentum Affectionis deferri potest. 1. *Actio in rem*; nam in his, qualescunque sint, semper in litem cum affectione jurari potest l. in actionibus cit. l. sed §. si 25. §. hec verba 10. ff. de hered. petit. l. qui restituere 68. ff. de R. V. l. sed §. si 7. §. in Publiciana 8. ff. de Public. in rem action. l. harum actionum 7. fin. ff. si servit. vindic. l. si fundus 16. §. in vindicatione 3. ff. de pignor. 2. *Actio ad exhibendum*: quod extenditur etiam ad alias arbitrarías actiones, ex quibus arbitrato Judicis aliquid restituitur, uti est actio de dolo, actio quod metûs causâ, Actio rerum amotarum, Interdictum, quod vi, aut clam &c. 3. *Actiones bonæ fidei*; nam in actionibus stricti Juris non deferuntur arg. l. in actionibus cit. §. fin. & l. alias 6. ff. de in lit. jur. Sed neque in omnibus actionibus bonæ fidei jurari potest, sed in directis tantum; non item in contrarijs, ut disertè habetur l. ei apud quem 5. princ. ff. deposit. ubi ratio datur; quia in ijs non agitur de fide rupta, seu dolo non restituentis rem contra fidem datam, sed solum de indemnitæte ejus, qui depositum suscepit, & quid in istud impendit, vel occasione ejusdem damnâ passus est.

Quæritur 6. quis sit modus præstandi hoc Juramentum? 1. hic traditur l. si quan-

si quando 9. C. unde vi : Nimirum Actor in specie coram Judice designat res sibi ablatas, vel dolo perditas, earumque pretium, & interesse exprimit: in Juramento quidem Affectionis pro arbitrio, & affectione sua; nam quisque optimè scit, quantum rebus suis afficiatur: in Juramento Veritatis autem, quanti res est, & quanti revera Actoris interest rem in Judicium deductam facto Adversarij non extare, vel extinctam esse. Si expressionem Judex crediderit esse nimiam, ad verisimilem summam eandem reducet: quod maximè procedit in Juramento Veritatis; nam ibi æstimatio fieri debet secundum pretium rei. Facta hac moderatione, si agatur de Juramento Veritatis, actor jurare debet, quod non minus perdidit; ultra taxationem verò jurare non licebit, sed si iniquè factam à Judice putet, superest ipsi remedium appellacionis, quod conceditur in omni gravamine, quo pars à Judice inferiore læditur.

In Juramento Affectionis plus conceditur, cum id introductum sit in poenam doli, & contumaciæ: quod si tamen pateret æstimationem ultra verum pretium nimium exorbitare, etiam tum Judex moderari inordinatum affectum, & reum condemnare ad summam minorem potest; fierique hoc potest, etiam postquam jam est juratum: quo differt Juramentum Affectionis à Juramento Veritatis; istud enim præcedere debet taxatio Judicis, ne si Juramentum sequatur, jurans fortè incurrat perjurium. Rosbach *prax. Civil. tit. 68. n. 13. §. duob. seqq. Engl. hic n. 38. König n. 107. §. 108.*

Dubium est, an is, cui defertur hoc Juramentum, cogi invitatus ad illud præstandum possit? Videtur hoc colligi ex *l. fin. ff. de in lit. jur.* ubi dicitur, de perjurio ejus, qui ex necessitate Juris in litem juravit, queri facile non solere. igitur Juramentum in litem est ex necessitate. Verum tenenda est sententia negativa, prout clarè fatiè decifum est *l. quodsi possessor 71. ff. de R. V.* ubi dicitur morem gerendum actori, si jurare non velit, sed Adversarium sibi condemnari malit, quanti res sit. Ad rationem dubitandi dico Juramentum in litem esse de necessitate Juris, quod Jus illud ob dolum rei, non restituentis, vel non exhibentis rem, actori necessariò deferat, non verò quasi actor delatum sibi invitatus suscipere debeat: nam in hoc liber est, & potest utrumque eligere, videlicet aut jurare, aut contentus esse, si condemnatur reus, quanti res sit.

69 Quæritur 7. quis sit Effectus Jura-

menti in litem? *¶. alius est effectus Juramenti Veritatis, alius Juramenti Affectionis.*

Juramenti Veritatis effectus est, ut hoc præstito reus condemnandus sit ad solvendum pretium: neque de perjurio actoris hic facile queri solet, ut habetur *l. fin. ff. de in lit. jur.* & ratio est, quia Juramentum hoc conforme est taxationi factæ à Judice, in quo dolus non præsumitur. Quod si tamen reus ostendere possit revera rem minus valuisse, audiri debet, & si ostenderit, summam juratam minuere Judex debet, ut notant Eckolt *ff. de in lit. jur. §. 7. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 1128. König hic n. 111.*

Juramenti Affectionis duplex effectus est: in uno convenit cum Juramento Veritatis, in altero discrepat. *Primus est*, quod postquam hoc Juramentum præstitum est, reus condemnari debeat in summam juratam, nisi gravis causa suadeat vel minoris eundem condemnari, vel etiam profus absolvi *l. videamus 4. §. item 3. & l. in actionibus 5. §. item 2. ff. de in lit. jur.* *Alter effectus est*, quod præstito hoc Juramento, dominium rei hoc modo æstimatæ transferatur in reum, & quidem statim, si res est propria actoris, & à reo possessa; si reus eam non possederit, tunc in illum transferatur dominium, quando ex voluntate actoris possessionem rei fuerit nactus *l. ejus rei 26. & l. seq. ff. de R. V.* ubi etiam ratio additur, quia *transgisse cum eo, & decidisse videtur actor eo pretio, quod ipse constituit.*

Dixi autem in hoc secundo effectu discrepare Juramentum affectionis a Juramento Veritatis; nam in hoc plerumque res restitui non potest, quia non amplius extat: quod si tamen extaret, post sententiam reus acquireret eodem modo dominium, quo modo in Juramento affectionis, ob rationis paritatem.

Quæritur 8. quis sit finis Juramenti in litem? *¶. Juramenti Affectionis finis est*, ut puniatur dolus, & contumacia Rei rem non restituentis, vel non exhibentis *l. rem 1. & l. tutor 8. ff. de in lit. jur.* Hinc si dolus non interveniat, etsi ex culpa Adversarij restitui nequeat, non defertur hoc Juramentum, sed tantum æstimatur interesse verum, ut *n. 58. dixi, & constat ex l. sine nostrum 2. ff. eod.*

Juramenti Veritatis finis est, ut hac ratione possit constare de vero valore rei; hinc si aliunde de vero valore rei appareat, Juramento huic locus non est *l. in actionibus 5. §. fin. in fin. ff. eod.*

SUMMARIUM.

71. 72. 73. 74. Effectus Juramenti Promissorii est obligatio: ubi pro hac ponuntur tres Regulae.
 75. 76. 77. 78. Ex parte jurantis est personalis.
 79. 80. Ex parte ejus, cui praestatur, realis.
 81. 82. Potest praestari per Procuratorem.
 83. Firmari contractum per Juramentum quid?
 84. In contractu aliis firmo, & valido Juramentum addit obligationem Religionis.
 85. 86. 87. 88. 89. An Juramentum habeat vim confirmandi contractus Jure positivo invalidos?

90. 91. 92. An omnis contractus Jure positivo irritus: appposito Juramento, confirmetur?
 93. 94. 95. Quos Effectus habeat Juramentum confirmatorum contractus Jure invalidi?
 96. 97. Quis relaxare Juramentum Promissorium possit?
 98. 99. Quinam Episcopus relaxare debeat Juramentum Promissorium factum homini?
 100. 101. 102. 103. 104. An etiam Judex, seu Magistratus Secularis?
 105. An, & qualis requiratur causa: ut Juramentum relaxari, vel in eo dispensari possit?

71 **Q**Uaeritur 1. qualis sit obligatio Juramenti Promissorii? R. de hac Juramenti Promissorii obligatione prodita sunt, & à DD. receptae praecipue tres Regulae.

Prima est: *Omne Juramentum observandum est, quod non vergit in dispendium salutis aeternae, & in alterius praedictum non redundat.* Sumitur ex c. *cum contingat* 28. h. t. c. *licet* 2. eod. in 6. & c. *quamvis de pact. in 6.* Ex hac regula colligitur obligatorium esse Juramentum, quo mutuarius usurarius jurat se soluturum usuras c. *debitores* 6. h. t. quo filia, accepta dote, jurat se illam contentam fore, & ad bona paterna non regressuram c. *quamvis cit.* quo mulier in alienationem rei dotalis consentiens jurat se illam non revocaturam c. *cum contingat*, & c. *licet cit.* Proceditque hoc 1. etsi tale Juramentum ob defectum v. g. juxta cause necessitatis, aut utilitatis illicitum sit; sufficit enim, quod sine peccato impleri possit, & tunc eo ipso sequetur obligatio implendi, ne Nomen Domini in vanum assumptum sit. Procedit 2. licet per injuriam, vel merum gravem extortum sit; quamvis enim tale Juramentum facile relaxari possit, antequam tamen relaxetur, juramentum obligat obligationem praedictam. Procedit 3. etsi errore, vel dolo sit praestitum, si iste solummodo versetur circa qualitatem, aut circumstantiam rei accidentalem; secus, si contingat ipsam rei promissae substantiam, ut si juratus promittas scyphum, quem stanneum putabas, cum sit argenteus; nam talis error, & dolus consensum tollit. Plura vide apud P. Wiest. *hic à n. 59.*

72 **S**ecunda Regula est: *Non est obligatorium Juramentum, quod contra bonos mores est praestitum.* Est regula 58. in 6. Porro contra bonos mores censetur esse 1. si contineat turpitudinem ex parte objecti; quia Jure naturali, Divino, aut etiam Canonico prohibito est: quale est Juramentum de furto faciendo, de non sanctificando die festo, de Beneficio permutando, vel resig-

nando sine licentia Ordinarii &c. 2. si cedat in praedictum boni publici, vel etiam privati; quia his fieret injuria, ad injuriam autem obligatio dari non potest: & hinc invalidum est Juramentum quodcumque, quo promittitur aliquid, à Lege justa quacunque, etiam Civili prohibito; hoc ipso enim, quod adverteretur Legi, adverteretur publicae ordinationi, & Juri, cui privatorum pactionibus nequit derogari c. *si diligenti* 12. de for. *compet.* & l. *Jus publicum* 38. ff. de pact. 3. si invietur ad liberius delinquendum, promittendo e. g. impunitatem crimini; nam bonum commune Reip. exigit delicta non manere impunita c. *ut fama* 35. de sent. *excomm. l. ita vulneratus* 51. §. *fin.* §. *quodj quis ff. ad Leg. Aquil.*

Tertia, & priori affinis regula est: *Juramentum non est vinculum iniquitatis, ut dicitur c. quanto* 18. h. tit. Ex hac praeter ea, quibus promittitur res Jure prohibita, irrita etiam sunt Juramenta: quibus filius jurat se parentibus debitum honorem, ac reverentiam, aut necessaria vitae subsidia in necessitate constitutis non exhibiturum c. *cum quidam* 12. §. *illi verò* h. tit. aut quo Religiosus hoc jurat, se in Professionis suae Monasterio non permanurum c. *sicut* 13. eod. aut quo Praelatus jurat se res Ecclesiae suae injuste ablatas non repetiturum c. *pervenit* 2. eod. aut quo Vassallus hosti Principis, à quo Feudum obtinet, jurat obedientiam, & fidelitatem c. *ea te* 22. eod.

Quando Juramentum est impeditivum majoris boni, distinctio est adhibenda: 74
 Vel enim promittitur aliquid ad honorem, & cultum Dei, vel in favorem, & gratiam hominis. Si primum, non obligat; quia est species Voti, quod esse debet de meliore bono: ideoque non obstante voto, etiam jurato, de ineundo Matrimonio, licita est Vita Religiosa, Clericalis, aut caelebs. Si secundum, etsi impeditivum sit majoris boni, obligat; quia generaliter omne Juramentum praestitum homini servandum est, quod

quod non vergit in dispendium salutis aeternae, & alteri non praedjudicat *c. quamvis. c. licet. c. cum contingat citt.* Excipiuntur sponsalia jurata; nam in his Juramentum non impedit, quo minus jurans ingredi Religionem possit: & ratio est, qui iisdem inest tacita conditio, *Nisi ingrediar, & profitear Religionem*, per textum *c. verum 2. & c. ex publico 7. de convers. conjugat.*

75 Dub. 1. qualis sit obligatio Juramenti Promissorij ex parte jurantis? *Ratio dubitandi est*, quia si Testator Juramento promiserit certam pecuniam erogandam in pauperes, vel alias pias causas, etiam haeredes illius obligantur ad eam sic erogandam, igitur obligatio Juramenti videtur transire à testatore ad haeredes, & consequenter esse obligatio realis.

Verum hoc non obstante, dicendum, Juramentum Promissorium homini praestitum secundum propriam obligationem ex virtute Religionis semper personale esse ex parte jurantis, neque haeredem illius, vel successorem obligari ex vi Juramenti ad praestandum id, quod promissum fuit à testatore, vel antecessore. Ita S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4. Abb. in *c. veritatis 14. h. i. n. 3.* Suar. l. 2. de *Juram. c. 31. n. 12.* Sanchez. l. 3. *Moral. c. 13. n. 1.* Gutier de *Juram. p. 3. c. 12. n. 7.* Bonac. tom. 2. D. 4. p. 15. n. 1. Pal. D. 2. p. 11. n. 1. Pax Jordan. l. 14. tit. 22. n. 197. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 859. Zael. hic n. 75. Pirh. n. 145. & alij communiter.

Ratio est, quia Juramentum est vinculum personale, solumque jurantem afficit; sicut enim nemo jurat, nisi sua voluntate, ita neque obligatur Juramento alterius, nisi in illud consentiat, & consentiendo suum faciat.

76 Proceditque hoc 1. etsi quis juraverit pro se, & successoribus suis; nam hi ex vi Juramenti non obligantur, ut rectè Abb. & alij supra *citt.* notant. Ratio est, quia obligatio Juramenti, quae oritur ex virtute Religionis, non nisi propria voluntate suscipi potest, cum sit actio personalis. Et hinc licet ratione Juramenti Juramento non stans conveniri aliàs possit coram Judice Ecclesiastico, haeres tamen, vel ejus successor ad illum trahi non potest, si Laicus ille sit. *Procedit 2.* in Juramentis à communitate factis; nam etsi major pars alicujus communitatis e. g. Capituli, vel Civitatis Juramento se obligarit ad aliquid praestandum, si quidam de Collegio contradicant, vel non consentiant, hi ex vi Juramenti non obligantur, neque propterea perjuri fiunt, etsi Juramentum non servent. Dixi autem utrobique *Ex vi Juramenti*; nam etsi praedictos non afficiat obligatio propria Juramenti, quae cum jurante transit, ex vi tamen Pacti, vel Contractus ex Justitia obligari possunt, & solent, si promissio jurata circa rem non illicitam, sed capacem obligationis versetur: ratio est,

quia pactum, vel contractus ad haeredes, & successores transit, etiam non facta mentione illorum l. *veteris 13. de contrah. stipul.*

Ex hoc capite obligari potest 1. pars minor Communitatis, ut servet Vota, Juramenta, & Pacta, in quae consensus major ejusdem pars: imò etiam ad jurandum cogi potest. Suar. l. *cit. n. 9.* Laym. l. 4. tr. 3. c. 10. n. 2. Pirh. hic n. 146. Ratio est, quia minor pars ex mutua quadam conventionione in re, quae utilis est Reip. tenetur se conformare majori, & hujus suffragia, aut conventionem sequi. 2. similiter Rex, Episcopus, Canonicus &c. etsi cum ad officium suum admittitur, & Juramentum ab eo non exigitur, non obligetur ad servanda Juramenta ab Antecessoribus edita ex vi Religionis, obligari tamen ad ea interdum potest ex vi Pacti, Statuti, vel consuetudinis, Suar. n. 13. Sanchez. n. 3. Laym. l. *cit.* & alij supra. 3. ob eandem rationem, licet Juramentum, à testatore factum, ad haeredes non transeat quoad perjurium, transit tamen ad illos, in quantum attinet ad pactum, vel contractum, & ejus observantiam, quam defunctus firmavit Juramento, & haeredes eo contractu obligari voluit. Laym. in *c. 14. h. tit. n. 1.* Barb. *ibid. n. 7.* Zael. hic n. 75. Ratio est, quia haeres succedit in omne jus defuncti activè & passivè l. *ex contractibus 49. ff. de O. & A.* Debet tamen ejusmodi promissio esse valida, & talis, quae alteri, in cujus gratiam juratum est, jus contulerit; nam aliàs per se spectata non tenebit haeredem. Hinc si Juramentum per Injuriam extortum est ab aliquo, v. g. si quis juravit se pecunias daturum latroni, haeres defuncti non tenetur implere hoc Juramentum, etsi defunctus illud in vita non impleverit: & ratio est, quia defunctus non tenebatur ad solvendum ex vi pacti, sed ex sola Religione Iurisjurandi, cujus obligatio, ut dictum, ad haeredes non transit.

Neque hic repetas ex ratione dubitandi n. 75. allata, quod haeres debeat exequi Juramentum erogandi in pauperes certam pecuniam, licet per illud Juramentum nulli pauperi, sed soli Deo Ius acquisitum sit; nam ex utriusque Iuris dispositione non aliter permittitur adire hereditatem, nisi cum onere implendi, & exequendi Juramenta, & Vota realia defuncti, ut patet ex *c. licet 6. de Vor. c. si haeredes 6. de testam. c. ex parte 13. de Censib.* & clarius l. *si quis 2. ff. de pollicit.* at verò nullus in utroque Iure textus est, quo statuatur obligationem Juramenti per injustitiam extorti ad haeredes jurantis transire, ita ut nisi sub hac conditione eis hereditas non deferatur, ergo id non est asserendum; quia obligatio Juramenti strictè est interpretanda.

Dub. 2. qualis sit obligatio Juramenti Promissorij respectu ejus, cui praestatur? 2. sub eo respectu obligationem Juramenti

Promissorij esse realem, adeoque ad hæredes, vel successores ejus, cui juratum est, transire. Casus esse potest: Titius juravit se 100. aureos daturum Cajo; si hic moriatur ante solutionem, obligatur Titius eam pecuniam solvere hæredibus Caji ex vi Juramenti Cajo præstiti. Suar. l. 2. de Juram. c. 31. n. 14. Sanch. l. 3. mor. c. 13. n. 6. Laym. l. 4. tr. 3. c. 10. n. 5. Pal. D. 2. de Juram. p. 11. n. 3. Haun. tom. 5. tr. 3. n. 361. Gonz. in c. Veritatis 14. b. tit. n. 4. Zoel. hic n. 75. Pirh. n. 149. & sumitur ex c. Veritatis cit. Concordat l. si pactum 9. ff. de probat. ubi habetur, quod pactum cum aliquo factum intelligatur etiam factum pro hærede illius, licet expressa mentio hæredis non fiat; & ratio ibi additur: Quia plerumque tam hæredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus. Conf. nam promissio, & quicumque contractus, nisi aliter constet de contrahentium intentione, ad hæredes illius transit, cum quo contractum est, sed Juramentum suscipit naturam, & condiciones promissionis, vel contractus, cui adjicitur, ergo & Juramentum ita transibit, & conf. hæredes idem jus obtinebunt, quod ipse obtinuit per Juramentum, cui juratum est.

30 Ex quo sequitur 1. eum, qui juravit alicui in Dignitate, vel Officio constituto fidelitatem, & obedientiam, expresso Dignitatis, & Officij, quod gerit, nomine, obligari vi illius Juramenti ad fidelitatem, & obedientiam exhibendam omnibus successores, in ea Dignitate, vel Officio constitutis, etsi illud in forma Juramenti non sit expressum. Ratio est, quia Dignitas, & Officium cum persona non extinguitur, sed ad successores transit arg. c. si gratiose 5. de rescript. in 6. igitur & Juramentum, quod intuitu Dignitatis, & Officij præstitum est, cum eodem ad successores transit.

Sequitur 2. responsionem procedere etiam casu, quo Juramentum fidelitatis à Vassallo præstitum fuit, non sub nomine appellativo Dignitatis, sed expresso nomine proprio gerentis Dignitatem, vel Officium; quia Juramentum circa rem, quæ pertinet ad Dignitatem, censetur non tam personam, quam Dignitatem respicere.

Sequitur 3. si is, cui ratione Dignitatis, vel Officij præstitum est Juramentum, illud resignet, vel ab eo removeatur, non obligari Jurantem, amplius ad præstandam ipsi obedientiam, aut fidelitatem, sed obligationem istam transire ad successorem arg. c. ad venerabilem 34. in fin. de elect. Et hinc

Sequitur 4. non esse necessarium, ut, cum alicui juratum est ratione Dignitatis, Juramentum renovetur apud successorem ejusdem in Dignitate. Præcipitur tamen interdum etiam casu, quo obligatio Juramenti ad Successorem transit, renovatio Juramenti, non, quod ea, sit necessaria, sed ob majorem solennitatem, & securitatem: id-

que obtinet in casibus Jure expressis, ut notat Pal. l. cit. Barbof. in c. 14. cit. n. 4.

Sequitur 5. quare aliquis Juramenti religione non possit obligare hæredes, & successores suos, possit autem obligare se successoribus: nam in secundo casu agitur tantum de obligatione propria jurantis quam sibi facere potest, prout vult; at in primo casu obligatio Juramenti extenderetur ad non jurantes, quod fieri non potest, cum obligatio illa sit personalis, ut dictum est.

Dub. 3. an Juramentum per Procuratorem præstari possit? R. posse, modo Procurator speciale mandatum ad istud habeat, & Jura non resistant. Colligitur ex can. tibi domino 33. dist. 63. can. optatum 4. dist. 100. c. nullam 3. de Juram. calum. in 6. & docent, Marant. p. 6. tit. de Juram. n. 45. Azor p. 1. l. 11. c. 7. q. 13. Suar. l. 2. de Juram. c. 31. n. 3. Sanch. l. 3. moral. c. 17. § 18. Pal. D. 2. p. 12. n. 1. Pax Iord. l. 14. tit. 22. n. 49. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 863. Ratio est, quia quod quis facere potest per se ipsum, etiam potest facere per alium Reg. 63. in 6.

Neque obstat, quod Juramentum ex parte jurantis sit personale, ut dictum est n. 75. nam etiam Matrimonij contractus est actio personalis, & tamen fieri per Procuratorem potest c. fin. de procur. in 6. Item non obstat, quod Procurator loquatur in prima Persona dicendo: ego juro; id enim dicit, quatenus representat personam alterius, nempe Principalis, qui principaliter censetur jurare. Et hinc si Procurator falsum juret, non solum ipse, sed etiam Principalis, cujus mandato, & in cujus animam Procurator jurat, perjurus erit, cum hoc tamen discrimine, ut non Procurator, sed solus Principalis pœnas perjurij incurrat, nisi ipse etiam Procurator in animam suam juraverit.

Dixi autem, Si habeat speciale mandatum; nam si Procurator ex solo mandato generali Juramentum præstat, dominus ex vi Juramenti à Procuratore sic præstiti non obligatur, cum defuerit in eo consensus in Juramentum: at ratione contractus, si hic aliunde, secluso Juramento, validus sit, tenebitur ob generalem facultatem ad contrahendum. Pal. l. cit. n. 3. Iordan. n. 49. cit. & alij apud ipsos. Addidi, Nisi Jura resistant; nam si actus talis sit, ut per alium geri nequeat, interposita personâ, jurare non erit licitum. Tale est Juramentum, quod præstandum est à testibus in Iudicio: item de quo à Jure cavetur, ut propria manu tactis Evangelij, aliisque solennitatibus præstetur: & universim omnia illa, de quibus Jura exigunt, ut in propria persona fiant.

Quæritur 2. an, & quatenus Juramentum firmet contractus, vel actus, quibus accedit? Celebris hæc controversia est apud DD. quam antequam resolvam.

Notandum 1. tunc dici per Iuramentum firmari contractum, quando ex promissione, alioquin infirma, per hoc, quod Iuramentum illi addatur, nascitur non solum obligatio Religionis erga Deum, quæ nascitur ex omni Iuramento valido, sed etiam Iustitiæ respectu hominis, videlicet Promissarii, ita, ut huic acquiratur jus adversus promittentem, quo hic non tantum ex virtute Religionis, sed etiam Iustitiæ, aut fidelitatis teneatur stare contractui, etiamsi Iuramenti, quod contractui adjectum erat, relaxatio imperetur. Quando autem ex promissione jurata nulla nascitur obligatio respectu hominis, cui fit promissio, sed tantum respectu Dei, tunc Iuramentum non firmat contractum, sed vocatur *Per se stans*, seu inductivum obligationis; quia solum eam inducit obligationem, quam secum trahit, neque ulterius progreditur ad firmandam promissionem, sed ita invalidam illam relinquit, acsi non esset appositum Iuramentum. Exemplum est in promittente sub Iuramento usuras; neque enim ex tali promissione jurata usurarius jus ullum acquirit, ut sibi Usuræ solvantur.

Not. 2. si Iuramentum accedat contractui aliàs firmo, & valido, Iuramentum hoc operari, ut ultra obligationem Iustitiæ, quam contractus sibi annexam habet, inducat etiam obligationem Religionis, adeo ut si fortè contrahens non abstereretur turpitudine Injustitiæ, saltem absterreatur gravitate, & pœnis perjurij à violatione contractus; ipsa autem obligatio Iustitiæ eo casu per Iuramentum adjectum non crescit, cum tunc tantum sit accessorium contractui.

Not. 3. si contractus sit Iure naturæ irritus, eundem per Iuramentum non confirmari, ut omnes facile DD. consentiunt: & ratio est, quia Iuramentum non potest supplere defectum substantialem, ob quem contractus Iure naturæ nullus est, ut per se patet. Idem dic de Contractu, qui Iure naturæ est irritabilis: & hinc qui dolo, metu injusto, aut usuraria pravitare extortus est, effi Iuramentum illi addatur, ex vi contractus firmitatem non habet, sed tantum servandus est ex obligatione Religionis Iuramenti, quamvis hoc à Judice relaxari possit.

Punctum itaque controversiæ solum procedit de Contractibus Iure positivo nullis, non quidem Divino (nam Lex humana, ex qua sola Iuramentum vim contractus confirmandi habere dicam, circa ea, quæ Iuris Divini sunt, nihil potest disponere) sed humano. Hinc est

Dubium 1. an Iuramentum habeat vim confirmandi contractus Iure positivo nullos, vel invalidos? Negativam defendunt Jason in *Auth. Sacramenta puberum C. si advers. vendit. n. 37.* Anton. Merenda *Contr. l. 1. c. 1. Pont. l. 12. de Matr. c. 7. num. 42.* § 47. Perez. *C. de reb. credit. num. 8.*

Franzk. *l. 2. ref. 6. n. 9. § seqq.* Glettle *p. 2. Pand. c. 3. n. 15. § seqq.* Wiest. *bic n. 79.* & hoc teste ex modernis non pauci, itaque primi nominis DD. Rationem dant, quia non apparet, unde Iuramentum vim istam habeat; non enim 1. hanc vim habet ex *Iure naturali, & ex natura sua*; quia ex natura sua plus non exigit, quam ut jurans efficiat, quod Iuramento interposito promissit, ne Dei nomen, & testimonium assumptum sit in vanum: quæ est obligatio religionis, & optimè impleri potest, etiamsi contractus invalidus maneat, ut patet ex Iuramento, quod usurarum promissioni adjectum est. Non 2. ex *Iure Civili*; quia nulpam invenitur, quod vis ista per Ius Civile tribuatur Iuramento: imò contrarium non leviter colligitur ex *l. non dubium 5. in fin. C. de Legib.* ubi Imperator non solum prohibet apponere Iuramentum contractibus Lege reprobatis, sed illud irritat, & annullat. Idem dici videtur *l. Juris gentium 7. §. generaliter 16. ff. de pact.* ubi Ulpianus, *nec Jusjurandum*, ait (additum pacto, quod *Iure communi remotum est*) *servandum esse.* Et confirmatur ex *l. siquis 112. §. fin. ff. de fideicommiss.* 1. ubi *Jusjurandum, contra vim Legum, & auctoritatem Juris in testamento scriptum, nullius esse momenti* dicitur. Non 3. ex *Iure Canonico*; quia dici potest, quod textus, qui citantur in contrarium loquantur de Contractibus validis, vel si de invalidis in aliquibus sermo est, intelligi debent de obligatione Religionis. Accedit, quia Pontifex non potuit contractus invalidos validos reddere per appositum Iuramentum, cum materia illorum contractuum, ut Iuramentum præcedit, non subdatur Pontifici: necessarium autem erat subdi, ut posito Iuramento firmaretur Contractus; quia aliàs Iuramentum caderet super Contractum nullum, & reprobatum: conf. non esse Iuramentum honestum, ac proinde nec obligatorium, nec confirmatorium. Volunt itaque isti AA. quod Iuramentum non addat aliam obligationem, quam Religionis, ita, ut hac relaxatâ, obligatio rem juratam præstandi cesset. Hæc sententia est valde probabilis. Communissima tamen sententia adhæret parti affirmativæ, cum qua ad dubium propositum.

Respondeo, & dico, Iuramento ultra vim obligandi ad servandam veritatem rei juratæ inesse quandam vim confirmandi Contractum, cui adjicitur, sic, ut ex invalido fiat validus, aut ex revocabili irrevocabilis. Ita Gloss. in *c. 2. de pact. V. servari in 6.* Imol. in *c. cum contingat 28. h. t. n. 13. § 16.* Abb. *ibid. n. 8.* Covar. in *c. quamvis de pact. p. 2. §. 1. n. 17.* Marant. *p. 6. tit. de Juram. n. 26.* Gutier de *Juram. p. 1. c. 40. n. 3.* Fachin. *contr. l. 3. c. 11.* Azor *p. 1. c. 40. n. 3.* Laym. *l. 4. Theol. tr. 3. c. 8. n. 1.* Sanch. *l. 3. mor. c. 12. num. 5. § 11.* Pax Jordan. *l. 34. tit.*

14. tit. 22. num. 333. Haun. de J. & J. tom. 5. tr. 8. n. 135. Henr. Canif. in c. 28. h. tit. num. 5. Gonz. ibid. n. 11. Pirh. hic n. 132. König n. 35. Sannig c. 6. n. 7. & apud hos innumeri alij.

Prob. 1. satis apertè ex varijs Juris Canonici textibus, videlicet 1. ex c. cum contingat 28. cit. ubi mulier jubetur stare Iuramento super alienatione rerum dotalium, quamvis consensus in hanc alienationem aliàs Iure Civili sit irritus. 2. ex c. licet 2. h. t. in 6. ubi Pontifex decernit Iudices sæculares, qui mulieres hujusmodi contra præfatas alienationes audiunt, per locorum Ordinarios Censurâ Ecclesiasticâ compellendos ad servandum Ius Canonicum de hoc introductum. 3. ex c. quamvis 2. de pact. in 6. ubi deciditur, pactum, quo filia renuntiat hæreditati paternæ, quamvis Iure Civili improbetur, si tamen Iuramentum accedat, servandum. Neque dici potest, quòd in his textibus loquatur Pontifex solum de obligatione Religionis, quæ propria est Iuramento; nam c. quamvis cit. disertè ait, Pactum Iuramento, nec vi, nec dolo præstito, firmatum fuisse. Accedit, quia hoc eodem cap. & c. cum contingat cit. Pontifex statuit Iuramentum illud esse servandum, si modò spontè, & non dolo sit præstitum: quæ conditio frustra adderetur, si Iuramentum contractui additum aliam obligationem, quàm Religionis, nullam induceret; nam etsi vis, aut dolus interveniat in Iuramento, hanc Religionis obligationem inducit, & ob hoc servandum est, quoties sine dispendio salutis servari potest. igitur necesse est, ut Pontifex in cit. textibus loquatur de obligatione ex alio capite introducta, quæ alia esse non potest, nisi Iustitiæ ex pacto per Iuramentum firmato.

87 Probatur 2. ex Iure Civili; nam idem suadet textus Auth. Sacramenta puberum C. si advers. vendit. ibi: Sacramenta puberum spontè facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Neque dicas, hanc Auth. accipiendam, ita ut non contradicat l. non dubium cit. ubi, ut n. 85. dixi, statuitur Contractus à Lege irritatos manere irritos, quamvis Iuramentum accedat; nam hæc Lex vel correctæ est per cit. Auth. ut vult Perez C. de Legib. n. 12. vel ut Brunnem. ad cit. Auth. n. 6. Pirh. hic n. 137. König n. 35. explicant, textus cit. l. loquitur tantum de illis contractibus, qui Iure reprobatè sunt, eò, quòd contineant turpitudinem ex parte accipientis, vel cedant in præjudicium tertij, quos contractus neque nos per Iuramentum confirmari dicemus infra n. 91. Alij cum P. Wiest. ad Auth. cit. respondent, ibi sermonem duntaxat esse de Contractibus validis, quia ponitur sub Titulo, Si adversus venditionem (intellige) agatur ad rescissionem illius, rescissio autem supponit valorem actus. Sed neque hæc

responsio vim Argumenti enervat; nam duplicem DD. rescissionem actus agnoscunt, unam Iuris, quæ fit annullando actum antea validum, alteram facti, quæ fit actum declarando invalidum: prior valorem actus supponit; non posterior: de utraque Auth. cit. loquitur; & hinc Gloss. ibid. V. contractibus, addit: Et si contractus Jure non valeant.

Probatur 3. etiam ratone: Quia si 89 Contractus Iuramento non confirmatur, relaxari posset hoc Iuramentum, & casu, quo non relaxaretur, etsi jurans teneretur eam obligationem exsolvere, ad hæredes tamen jurantis obligatio contractus sic jurati non transiret, quippe quæ eo casu solum esset ex virtute Religionis, conf. merè personalis, quæ cum persona emoritur. contrarium tenet receptissima DD. sententia. ergo &c. Conf. si contractus invalidus Iure non confirmatur, cogendus necessariò est is, cui Iuramentum præstatur, ut Iuramentum remittat; quia est præstitum in Contractu nullo, & invalido, conf. tali, ex quo nullum Ius acquiritur. at nec Leges, nec Canones talem insinuant remissionem obligationis: imò c. licet cit. in 6. ut supra monui, Pontifex vult cogi Iudices, ut Ius Canonicum in hoc observent.

Dicunt quidem Adversarij obligationem explendi hujusmodi Iuramenti ad jurantis hæredes transire ex quasi contractu cum defuncto, quo adeundo hæreditatem ex utriusque Iuris dispositione præsumuntur in se suscipere obligationem exequendi Vota, & Iuramenta realia defuncti. Sed hæc responsio non videtur sufficere; quia obligatio solvendi Usuras, quas soluturum se cum Iuramento promissit defunctus, ad hæredes non transit; transire autem ad hæredes deberet juxta datam responsonem, quia hoc Iuramentum non minus reale est. igitur alia ratio assignari debet: alia autem non facile assignabitur, nisi quòd Iuramentum additum promissioni solvendi Usuras Usurario nullum tribuat Jus Usurario, tribuat autem in Contractibus Jure positivo humano invalidis; si autem Jus tribuit, manifestum est per Iuramentum confirmari actus tali Jure invalidos. Ergo &c.

89 Ex his patet ad Argumentum sententia oppositæ; dico enim vim confirmandi Contractus invalidos datam Iuramento per Jus positivum, quod in honorem Iuramenti roborat promissionem, quæ alioquin nullum haberet robur. Ita Bald. in Auth. cit. n. 4. Sanch. c. 12. cit. n. 3. Suar. tom. 2. de Relig. l. 2. de Juram. c. 28. n. 3. Pal. D. 2. de Juram. p. 9 n. 2. Hinc confirmatio Contractus invalidi, cui appositum est Iuramentum, potius est effectus Juris: dicitur tamen ex Iuramento confirmatio hæc provenire; quia posito Iuramento, Jus ipsum in reverentiam ejusdem hanc promissioni firmitatem concedit;

cedit: quæ proinde cum sit distincta ab obligatione Religionis per Juramentum aliàs introducta, Juramento etiam relaxato, manet, atque ad hæredes transit. *Excipitur*, nisi Lex positiva irritet non tantum contractum, sed etiam Juramentum ei adjectum; nam hoc si fiat, perinde est, acsi Juramentum non esset adjectum, cum tanquam irritum nullam vim obligandi habeat.

Dub. 2. an omnis Contractus, Jure positivo irritus, apposito Juramento confirmetur? *Res. negativè*; nam 1. *excipiuntur* Pacta, sive Contractus, qui à Jure positivo, vel Lege Civili prohibentur, & irritantur principaliter ob utilitatem publicam, seu bonum commune. *Abb. in c. 28. h. tit. n. 5. Sanch. l. 3. Mor. c. 12. n. 43. Pal. D. 2. de Juram. p. 9. §. 3. n. 2. Vallens. hic §. 9. n. 2.* & ratio est, tum quia pactis privatorum etiam juratis Juri communi, seu publico derogari non potest *l. Juris gentium 7. S. §. generaliter 16. ff. de pact.* tum quia tunc Lex Civilis obligat in conscientia, & cons. Juramentum de actu ita prohibito est de re mala, atque ita obligatorium esse non potest.

Excipitur 2. quando Juramentum directè, & principaliter vergit in damnum tertij *c. cum contingat 28. h. t. c. quamvis 2. de pact. in 6. Zael. hic n. 61. Sannig c. 6. n. 10.* & reliqui supra. Ratio est, quia etiam hoc Juramentum est de re mala, & illicita. Igitur non obligat; & cons. vim confirmandi contractum non habet. *Dixi directè & principaliter*; nam si indirectè solum, & secundariò in præjudicium tertij cedat, v. g. quia alioquin alius habuisset spem successio- nis, si res alienata non fuisset, præjudicium hoc non obest valori Juramenti, & cons. illud vim confirmandi contractum habet; quia per hoc non fit illicitum.

Excipitur 3. si pactum, vel contractus turpitudinem contineat ex parte creditoris, in cujus favorem juratur, quale est Juramentum solvendi usuras, promissio jurata extorta metu, vel dolo; nam etsi Juramentum adjunctum obliget, non tamen confirmat contractum, vel pactionem *c. debitores 6. c. cum contingat 28. h. t. c. licet 2. eod. in 6. & c. quamvis 2. de pact. in 6.* Ratio est, quia in his casibus Juramentum tantum obligat in reverentiam Divini Nominis adducti in testem ad faciendam fidem; ipsi verò, cui juratum est, nullum acquiritur jus, vel actio: hinc etiam solum repeti potest. Debet autem turpitudinis ista esse de Jure naturali, vel Divino; nam si sit de Jure humano tantum, Juramentum confirmat contractum, & purgat vitium nullitatis introductæ per Jus Civile.

Excipitur 4. quotiescunque Juramentum absque peccato jurantis servari non potest; nam in omnibus ijs casibus vim confirmandi contractus non obtinet. Patet ex dictis, quia nullum est, & nullum Juramentum nullam habet vim, vel obligationem.

Quare, ut per Juramentum confir-⁹² metur contractus, vel pactum, requiritur 1. ut Juramentum ipsum sit validum. 2. ut pactio, vel contractus neque ex parte jurantis, neque ex parte illius, cui juratur, contineat turpitudinem, quæ Jure naturali, vel Divino rem, in tale pactum, vel contractum deductam, acceptare eundem veteret. 3. ut nec Juramentum, nec pactio, cui adjicitur Juramentum, principaliter, & directè cedat in præjudicium boni publici, aut damnum tertij.

Neque obstat, etsi hujusmodi Pactum, vel Contractus Jure positivo humano sit irritatus, si principaliter, & directè solum irritatus sit ob utilitatem privatam jurantis; quia Juri in favorem suum immediatè, & principaliter concessio renuntiare quilibet potest. Talia sunt 1. alienatio fundi dotalis, & donationis propter nuptias *c. cum contingat, & c. licet cit.* 2. pactum factum à filia in commodum, & honorem patris, ut dote contenta in bonis paternis non amplius succedat *c. quamvis cit.* 3. contractus minoris celebratus super re immobili, vel mobili, quæ servando servari potest *Auth. Sacramenta puerum cit.* 4. donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum. 5. donatio excedens 500. solidos, facta absque insinuatione Iudicis. 6. promissio testamenti non revocandi, aut instituendi certum heredem, quæ præbet occasionem captandæ mortis alienæ. 7. Fidejussio mulieris, quæ jurata renuntiavit S. C. Vellejani privilegio &c.

Neque refert, etsi prohibitio hujusmodi pactorum secundariò, indirectè, & consequenter ad publicam utilitatem ultimatè referatur; nam hoc omnibus Legibus, & privilegijs commune est, neque tamen propterea aliquis prohibetur cedere privilegio pro se unice introducto.

Dub. 3. quos effectus habeat Iura-⁹³ mentum confirmatorium Contractus Jure invalidi? *Res. plures* habet, quos non habet Juramentum, quo Contractus, cui apponitur, non confirmatur.

Nam 1. Juramentum non confirmatorium contractus validum solum inducit obligationem ex Virtute Religionis, ut patet ex Juramento solvendi usuras; at Juramentum Contractus confirmatorium præter obligationem ex Virtute Religionis erga Deum, etiam inducit obligationem Iustitiæ, aut fidelitatis erga hominem, ita, ut promissio, vel contractus hujusmodi per accessionem Juramenti quasi reviviscat, purgato vitio nullitatis, ut ostensum est à n. 86.

2. Juramento Contractus non confirmatorio valido satisfacta momentanea solutione, ita, ut statim possit jurans solum repetere, at in Juramento contractus, vel promissionis confirmatorio, quod solum est, non amplius licet repetere, sed irrevocabili- ter servandum est. *Suar. l. 2. de Juram. c.*

25. n. 10. Sanch. l. 3. mor. c. 12. n. 61. Pal. D. 2. de Juram. p. 9. n. 5. Vall. §. 8. n. 6. hic. Ratio est, quia illius, quod ex pacto per Iuramentum confirmato solutum est, dominium transfertur in accipientem; illius autem, quod solutum est ex pacto, per Iuramentum non confirmato, dominium in accipientem non transfertur: hinc quia sine justo titulo penes recipientem est, repeti potest.

94 3. Quando Iuramentum confirmat promissionem, vel contractum aliàs Iure invalidum, parit actionem in Iudicio; hanc non parit, cum actui, vel contractui additur Iuramentum non confirmans contractum. Less. l. 2. de Just. c. 17. n. 51. Sanch. l. cit. n. 66. Pal. n. 3. Ratio ex dictis patet; quia scilicet ex Iuramento Contractus confirmatorio obligatio inducitur non tantum erga Deum ex Virtute Religionis, sed etiam Iustitiæ erga hominem, cui proin ex huiusmodi promissione, vel contractu jus acquiritur; jus autem actionem parit.

4. Quando Iuramentum confirmat contractum, ordinariè relaxatio ejusdem obtineri non potest à Prælati inferioribus Pontifice: aliud est de Iuramento non confirmatorio contractus; nam in hoc peti, & concedi etiam ab inferiore relaxatio potest, & postea sine peccato non servaritur Iuramentum. Suar. n. 12. Sanch. n. 63. & seqq. Pal. n. 4. Vall. n. 7. Ratio est, quia, ut dictum, per Iuramentum confirmatorium acquiritur jus tertio, nullum acquiritur jus per Iuramentum non confirmatorium: & conf. hoc sine injuria relaxari potest, non illud, cum relaxatio in hujus præjudicium cedat.

95 5. Si relaxetur Iuramentum confirmatorium contractus per alium, quam creditorem, aufertur quidem obligatio propria Iuramenti, videlicet Religionis, obligatio tamen Iustitiæ, aut fidelitatis ex contractu sic firmato manet, donec vel remittatur à creditore, vel contractus rescindatur à Iudice. Suar. n. 4. & 5. Sanch. n. 59. Vall. n. 3. Ratio est, quia contractus valor aliquando introductus per Iuramentum, in conservari non amplius dependet à Iuramento, cum hoc solum fuerit conditio, quâ positâ, Lex contractui invalido valorem restituit.

6. Denique licet Iuramentum non confirmatorium non transeat ad hæredes ejus, cui præstitum est, obligatio tamen introducta per Iuramentum contractus confirmatorium ad hæredes transit propter vim pacti. Suar. n. 9. Sanch. n. 67. Pal. n. 6. Ratio est, quia jus inducit; jura autem, & actiones defuncti ad Successores transeunt.

96 Quæritur 3. quis relaxare Iuramentum Promissorium possit? 1. Si factum sit Deo, ille relaxare potest, qui potest dispensare in Votis. Si homini præstitum sit, distinguendum est, an ex parte recipientis Iuramentum sibi factum sit turpitudine, eò, quòd

v. g. per dolum, vim, metum sit injustè extortum; an contra turpitudinem ex parte recipientis nullam contineat.

Si primum, & hoc constat, ab Episcopo, vel alio Prælato, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, relaxari potest, prout colligitur ex c. Abbas 2. de his, qua vi, metusve causa, c. si verò s. h. t. & c. licet 2. eod. in 6. Ratio est, quia per tale Iuramentum, ut hæcenus ostensum est, nullum Jus acquiritur ei, cui præstatur, nec contractum confirmat, sed Iuramentum unice servandum est ob reverentiam Divini Nominis: & hinc Prælati, vices Dei gerens, ejus nomine relaxare illud potest.

Si secundum, nemo relaxare illud potest, invito eo, cui præstitum est, præter Summum Pont. idque non nisi ex gravissima causa, & ob bonum commune. Suar. l. 2. de Juram. c. 41. n. 2. Sanch. l. 3. mor. c. 21. n. 2. Laym. in c. 8. cit. n. 2. Haun. tom. 5. tr. 4. n. 298. Pirh. hic n. 154. Ratio est, quia cum per tale Iuramentum sit Jus questum alteri, non potest illud ei auferri, nisi per Supremum Principem, summa in Spiritualibus potestate præditum, cum Iuramentum sit vinculum Spirituale. Potest tamen etiam Episcopus interdum relaxare Iuramentum alteri præstitum, v. g. non accusandi, non denunciandi, si bonum Diocesis hoc postulet. Sylv. V. Iuramentum 5. q. 3. Suar. l. 2. de Juram. c. 41. n. 5. Laym. l. 4. tr. 3. c. 11. n. 5. & indicat S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. ubi dicit, quòd id maxime pertinere videatur ad potestatem Papæ. ergo aliquando etiam ab Episcopo id fieri potest juxta rei, & personarum qualitatem.

Si dubium sit, an Iuramentum contineat turpitudinem ex parte recipientis, vel non, in tali dubio præsumptio est de valore Iuramenti, atque jus ejus, cui juratum est, exinde fundatum manet, donec de eo dolus, aut vis injusta demonstretur.

Dub. 1. quinam Episcopus relaxare debeat Iuramentum promissorium factum homini, num ipsius jurantis, an verò ejus, cui juratum est? 1. cum distinctione: Vel enim relaxatio Iuramenti petitur in foro conscientie tantum, seu extra Judicium? vel in foro externo: & tunc vel petitur relaxatio tantum in ordine ad effectum agendi, seu petendi in Judicio rescissionem Iuramenti dolo, vel metu extorti; vel petitur in ordine ad tollendam omnino obligationem dandi, aut solvendi, quod promissum est.

Si primum, videlicet si Iuramenti relaxatio solum petitur in foro conscientie, Episcopus jurantis id relaxare debet; quia is solus in eo foro habet, Jurisdictionem in illum. Suar. l. 2. de Juram. c. 41. n. 10. Sanch. l. 3. mor. c. 21. n. 35. Laym. in c. 8. h. tit. n. 6. Gonzal. in c. 1. eod. n. 14. Pirh. hic n. 156.

Si se-

Si secundum, & jurans petit relaxationem in ordine ad effectum agendi, vel petendi rescissionem Juramenti, iterum ad Episcopum jurantis relaxatio sic facienda spectat, quia agitur de vinculo conscientiae; ratione cujus impeditur jurans ab agendo; hoc autem vinculum dissolvere ex justa causa pertinet ad Praelatum proprium, & ordinarium. Neque necesse est, ut eo casu citetur pars, cui juratum est; quia non agitur de magno illius praesudicio, cum non obstante relaxatione sic facta, adhuc jus suum in judicio possit prosequi. Sanch. n. 22. § 36. & qui supra.

Si tertium sit, & relaxatio petatur in ordine ad tollendam omnino obligationem dandi, vel solvendi, quod promissum est, ordinariè relaxatio Juramenti fieri debet per Episcopum ejus, cui juratum est. Sanch. n. 36. & *citt. supra*. Ratio est, quia cum tunc citatione partium opus sit, & cognitione causae ob grave praesudicium, quod versatur in hujusmodi relaxatione, ille Judex rescindere Juramentum debet, qui est Ordinarius Rei; nam actor forum Rei sequi debet, atqui si à Judice petitur, ut promissio, vel contractus, praemissa Juramenti relaxatione, rescindatur, reus est is, cui juratum est, igitur is, qui Reus est Ordinarius, Juramentum eo casu relaxare regulariter debet.

Dixi Ordinariè, & Regulariter; nam triplex Exceptio fieri debet. 1. si is, cui juratum est, spontè se subjiciat Episcopo jurantis, quia nim. ipsemet agit ad implendam promissionem, seu contractum juratum coram Episcopo jurantis; nam eo casu Episcopus jurantis, praemissa cognitione causae, si invenerit Juramentum esse dolo, vel metu injustè incusso extortum, potest ab eo absolvere suum subditum, cum tunc jurans sit reus. Sanch. Laym. Pirh. l. *citt.* 2. si causa relaxandi, videlicet dolo, aut vis injusta, notoria sit; tunc enim relaxatio Juramenti fieri potest sine citatione partis, & conf. etiam ab Episcopo jurantis, proderitque relaxatio haec juranti ad hoc, ut si postea conveniatur de observatione Juramenti, per Exceptionem doli, aut metus se possit defendere, ut notat Alex. in c. *debitores 6. h. tit.* 3. si contractus, juramento injusto extorto confirmatus, sit celebratus extra Dioecesim jurantis, & cui juratum est; tunc enim Episcopus loci, ubi celebratus contractus est, de contractu celebrato cognoscere, & si constet, juramentum injustè extortum fuisse, illud relaxare debet. Sanch. Pirh. l. *citt.* Ratio est, quia contrahentes sortiuntur forum in loco contractus c. *fin. de for. compet.*

Dub. 2. an non tantum Praelatus Ecclesiasticus, sed etiam Iudex, seu Magistratus secularis relaxare possit Juramentum homini praestitum? Ratio dubitandi est, quia Juramenti obligatio est Spiritualis, igitur Sa-

cularis, & Civilis potestas de ea non potest disponere. Conf. Civilis potestas impedire non potest Ecclesiasticam Jurisdictionem, at si vires Juramenti impedire posset, Jurisdictionem Ecclesiasticam impediret, cum medio Juramento jurans efficiatur Jurisdictionis Ecclesiasticae. Ob has rationes plures DD. censent potestatem Civilem prohibere tantum posse Juramentum apponi, nunquam tamen impedire: imò neque impedire posse vires illius, si contractibus aliis licitis apponatur, licet contractus, quibus Juramentum apponitur, Ius positivum irritos, & nullos fecerit. *Movetur*, quia ex eo, quod Juramentum afficiat contractus Iure positivo invalidos, non efficitur, quod etiam Juramentum invalidum sit, ut patet in Juramento solvendi usuras, illasque non repetendi, ubi validum est Juramentum, promissio tamen invalida. Ego ad dubium propositum.

§. 1. non excedit potestatem Iudicis totius secularis indirecè relaxare vinculum Juramenti inter Laicos sibi subditos, si res Juramento promissa pertineat ad forum saeculare, & bonum publicum istud exigat. Molin. tr. 2. de Just. D. 149. n. 12. Sanch. l. 3. c. 22. n. 15. Pax Jordan. l. 14. tit. 22. n. 165. Haun. tom. 3. tr. 4. n. 905. Laym. in c. 28. h. t. num. 7. Gonzal. in c. 1. eod. num. 12. Zoesl. hic n. 80. Pirh. n. 159. Ratio est, quia si exigat bonum publicum relaxari Juramentum, is, cui juratum est, debet illud remittere juranti, ergo si neget remittere, Iudex etiam saecularis nomine, & loco illius, etiam renitentis, remittere poterit. Ratio Conf. est, quia generaliter, quando subditus tenetur praestare consensum ad actionem aliquam, & rehuic, Iudex, seu Magistratus supplere consensum illius potest, eoque invito praestare, quod hic, & nunc bonum publicum exigat, ut patet in multis alijs casibus, & exemplis.

§. 2. Potest probabiliter Magistratus totius secularis, saltem Princeps, qui Superiorem non recognoscit, si bonum publicum ita postulet, pactum aliquod, quod bonis moribus Civilibus, & fini Politico Reip. adversari videtur, adeo infirmare, & irritum reddere, ut neque accessione Juramenti confirmetur. Sanch. l. 3. mor. c. 12. n. 50. Pirh. hic n. 139. Ratio est, quia quod Juramentum confirmare possit contractus, Iure positivo irritos, vel irritandos, non ex propria virtute habet, sed ex Iure positivo humano talem vim confirmandi eidem tribuente. ergo si Ius, aut Lex positiva, vel consuetudo vim Legis obtinens, nolit contractum Juramento confirmari, Juramentum non confirmabit illum contractum. Conf. nam quævis potestas publica debet esse sufficienter instructa ad prohibendum ea, quæ fini suo, & bono communi obesse possunt: inter hæc possent esse pacta, vel contractus aliqui, & horum obligationes, igitur potestas dari debet ejusmodi

modi contractus infirmandi, & quidem ita, ut nullo modo, ne quidem per appositum Iuramentum, confirmari possint; aliàs eluderetur publica potestas, si subditi, quod unâ viâ per pactum, aut contractum consequi non possunt, aliâ viâ, nimirum per Iuramentum consequerentur.

no3 **R. 3.** Potest idem Princeps Sæcularis supremus, si publicum bonum ita exigat, infirmationem contractus facere, ita, ut non tantum non oriatur obligatio Iustitiæ, quæ oriretur ex Iuramento, si confirmaret contractum, sed etiam, ut neque nascatur inde obligatio Religionis, Sanch. l. 3. c. 22. n. 10. Less. l. 2. de Just. c. 42. n. 55. & 56. Bonac. tom. 2. D. 4. q. 1. p. 17. n. 1. Pal. D. 2. de Juram. p. 13. n. 2. Pirh. hic n. 159. Ratio est, quia potest suum subditum reddere inhabilem ad acceptandam promissionem, hæc, vel illâ formâ præstitam, sed absque acceptatione promissorium Iuramentum obligationem non inducit. ergo &c.

R. 4. Potest Magistratus, vel Princeps sæcularis ob bonum publicum prohibere executionem obligationis per Iuramentum inductæ: quo factò cessabit hoc ipso obligatio ista, cum Iuramentum esse vinculum iniquitatis nequeat.

R. 5. Potest Imperator Principem, vel Statutum Imperij subicere Banno, cujus effectus inter ceteros est relaxatio Iuramenti fidelitatis, quo Principi, vel statui illi ipsorum subditi ante Banni declarationem fuerunt obstricti.

no4 Ad Rationem dubitandi n. 100. allatam dico, per eam plus non probari, quam quòd Iudex Sæcularis non possit relaxare Iuramentum directè: quod non est contra assertam doctrinam, in qua, prout ex

quintuplici data Responione patet, relaxatio solum sit indirectè, subtrahendo sc. fundamentum Iuramento, quo substracto etiam obligatio ipsius cadit.

Ex quo sequitur ad Conf. nam ut relaxare Iuramentum, ita etiam impedire indirectè sic relaxando extensionem Ecclesiasticæ Iurisdictionis Princeps, vel Magistratus Sæcularis potest. Neque hoc limites potestatis Sæcularis excedit, sed vel maximè ei conveniens est, quippe cum hoc modo obvietur fraudibus, quæ ob recursum ad Ecclesiasticam Iurisdictionem in ijs contractibus intervenire solent.

Dub. 3. an & qualis requiratur causa, ut Iuramentum relaxari, vel dispensari in eo possit? **R.** si homini factum sit, ab hoc, cui factum est, relaxari, vel condonari potest, pro libitu, etiam sine causa. Ut ab alio solvatur, & relaxetur Iuramentum, certum est requiri causam, etiam dum Pontifex dispensat; quia ejus vinculum obligat Iure Divino, & conf. consentiente Deo solvendum est. deficiente autem causâ, Deus non consentit. ergo &c.

Porro causas relaxandi Iuramentum recensent Rodriq. in Summ. p. 1. c. 27. n. 5. Azor p. 1. l. 11. c. 9. q. 7. Gonzal. in c. 1. h. t. n. 15. & alij. **1.** Si turpitudine detur in Iuramento ratione materiae, vel rei promissæ c. ex administratione 1. h. tit. **2.** Si dolo, aut metu extortum sit c. verum 15. & c. si verò 8. h. t. **3.** Si gravius, aut majus bonum faciendum occurrat. c. pervenit 3. eod. **4.** Si temere, & inconsideratè juratum sit c. tua nos 24. **5.** Si dubitetur, an Jusjurandum locum habeat, necne. **6.** ut aliorum offensio tollatur. **7.** Ut peccati periculum, & occasio præcidatur &c.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

Hactenus considerata sunt arma Actoris, quibus ille munitus reum aggreditur, & intentionem suam probat: nunc examinandum, quæ sint defensiones Rei; nam cum in Judicio æqualitas observanda sit inter Actorem, & Reum, æquum est, ut sua etiam reo concedantur arma, quibus se contra Actorem de-

ferat, & hujus Probationes elidat. Hæc arma Exceptiones sunt, de quibus hoc Titulo. Nomen Exceptionis derivatur à Verbo Excipere; nam qui Exceptionem opponit, quasi aliquid capit, vel tollit ex actione proposita. Germanicè dicitur ein Aufzug / Schuss, oder Gegenwehr / Einred. Sit igitur

§. I.

De Natura, Varietate, & Origine Exceptionis.

SUMMARIUM.

1. Definitio Exceptionis.
2. 3. Varietas.
4. Quid sint Exceptiones Peremptoriae?
5. Quid Dilatoriae?

6. Quare illæ dicantur Perpetuae, hæc Temporales?
7. 8. Quo Jure Exceptio competat?
9. Quid sit replicatio?
10. Quæ Replicationes rejiciendæ?

Queritur